


EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.


NF 7





12. 2. 179.







EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
QVÆSTIONE,  
AN DIABOLUS  
ANTE MORTEM CHRIS-  
TI CERTO COGNOVERIT, QVOD  
IS PROPRIUS ESSET AC NATU-  
RALIS DEI FILIUS?

EAM  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
SUB PRÆSIDIO  
M. MELCHIORIS ZEIDLERI,  
S. THEOL. P. P. SECUNDARII,  
p. t. ACAD. RECTORIS,

Publico Examini subicit  
MATTHIAS TRENTOVIVS,

Lyccensis Borussus,  
Ad diem 10. Aprilis in Auditorio Majori  
horis matutinis.

---

REGIOMONTI  
Typis JOHANNIS REUSNERI ELECT. & ACAD.  
TYPOG. Ao. 1665.

IN THE THEOLOGICAL  
QUESTIONS  
AND DIABOLUS

AN THE MORITAI CHAL  
AN THE MORITAI CHAL  
AN THE MORITAI CHAL

AN THE MORITAI CHAL  
AN THE MORITAI CHAL  
AN THE MORITAI CHAL

AN THE MORITAI CHAL

AN THE MORITAI CHAL  
AN THE MORITAI CHAL





**I**Nter cæteras quæstiones quæ ad cognitionem, ut vocant Pa-  
tres, s. peritiam Theologicam pertinent, est & hæc: Num Dia-  
bolus ante mortem Christi certò cognoverit, ipsum esse ve-  
rum ac naturalem Dei filium? Sunt enim aliqui ex recentiori-  
bus, qui sibi persuadeant, Satanam id non solum ante mortem ejus,  
sed vel ante illud etiam tēpus, quo munere suo, cujus gratia à Pa-  
tre missus erat, fungi cœpit, imò jam ipso conceptionis tempore  
cognovisse. Verum ut ingenuè dicamus, quod sentimus, hæcte-  
nus à nobis impetrare non potuimus, ut huic sententiæ calculum  
nostrum adjiceremus. Primò enim ex nullo Scripturæ loco  
evidenter quod illi volunt, probari potest. At quod de Scripturis  
in istiusmodi rebus non habet auctoritatem, eadem facilitate cõ-  
temnitur, quâ probatur. *Non oportet*, ait Chrysoft. Enarrat. Pl.  
XCV, *aliquid dicere sine testibus, neq; ex ratiocinatione nostrâ tan-  
tùm. Nam si quod non scriptum dicatur, mens auditorum claudicat,  
nec annuens, nec hesitans* — *Quando autem testimonium scriptum  
divinae vocis prodierit, illud & orationem dicentis & mentem audien-  
tis firmaverit.* Et Augustinus lib. 2. de pecc. meritis c. ult: *Ubi  
de re obscurissima, inquit, disputatur, non adjuvantibus divinarum  
scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præ-  
sumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Deinde nec an-  
tiquitati hoc dogma est conforme. Plerorumq; enim inter vete-  
res Ecclesiæ Doctores etiam antiquissimos, qui ipsos Apосто-  
los, aut Discipulos illorum audiverunt, constans opinio est, Sa-  
tanam mysterium hoc ante tentationem, imò ne ante resurrecti-  
onem quidē certò cognovisse. Ipso Apostolorum ævo vixit IGNA-  
TIUS Discipulus Johannis & Episcopus Antiochenus Secundus à  
Petro, qui seipsum Dominum in carne oculis suis vidisse affirmat  
in Epistolâ ad Smyrnenses & à nonnullis etiam vetustiorum sta-  
tuitur fuisse puer ille, à Domino sinu acceptus Matth. XII, 2. ut  
videre est apud Nicephorum lib. II. c. XXXV. Hic in Epistola ad  
Ephesios, quæ est una inter illas, quarum meminit Eusebius:

A

Latuit,

*Latuit, inquit, principem hujus Seculi Virginitas Maria & partus ipsius, similiter & mors Domini. Tria mysteria clamoris, quæ in silentio perfecta sunt. H. i. Quibus gemina sunt, quæ apud eundem habet Autor Epistolæ ad Philippenses, Satanam sic alloquens: Non me latuisti tuo antiquo consilio, neq; ignoro, quod lubricè & curvè incedas. At Tu ignorasti, quis ille esset genitus, qui Te quicquid est, intelligere præ Te fers. At multa Te latuerunt, Maria Virginitas, & admirandus ille partus, quis ille esset, qui in corpore fuit. Discipulos Apostolorum audiverunt Justinus ac Irenæus Lugdunensis S. S. Martyres, quos idem sensisse infra apparebit. Proximus illorum tempori fuit Tertullianus Carthaginens. Presbyter, primus inter Latinos, quos hodie habemus, Patres. Is IV. adversus Marcionem c. VI. dicit: Satanam habuisse quidem sensum aliquem dispositionis, nondum tamen satis eam cognovisse. Consentit Origenes qui eodem quo ille, nempe Seculo III. à C. N. floruit Homil. VII. in Lucam dicens: Disposuerat Salvator dispensationem suam (ὀκνοῦντας: Sic autem vocant veteres mysterium redemptionis, à Filio Dei in carne peractæ) & assumptionem corporis ignorare Diabolum. Unde & in generatione sua celavit eam. Consentit & Zeno Veronensis, qui eodem Seculo III. sub Galieno Imperatore Martyrio affectus reliquit nobis sermones aliquos de nonnullis Scripturæ Locis, inter quos est & sermo de adventu Christi, in quo ait, Christum LATENTER intrasse mundum, ne Diabolus sibi sapiens videretur. Seculo IV. Eusebius Cæsariensis X. de Demonstr. Evangel. c. VII. prolixè docet, Demones nec vivum nec mortuum Dei filium pro certo agnovisse. Athanasius quoq; Archiepiscopus Alexandrinus in Qq. quæ interpretationibus Dictorum & Parabolarum Scripturæ subjunguntur, si tamen is Autor est Quæstionum istarum Quæst. XX. absconditam fuisse, ait, in ipsa carne Deitatem Christi, ne Diabolus eam cognosceret. Similiter & Gregorius Nyssenus in libro Catech. c. XXVI. Deum, inquit, non nudâ divinitate, sed tectâ humanitate apparuisse, ut ab inimico ignoraretur. Sec. V. Leo Magnus Serm. XI. de passione,*

sione, *severenti Diabolo potentiam suae Majestatis, ait, occuluisse Christum, eius infirmitatem nostrae humilitatis objecisse.* Eadem est & aliorum penè omnium sententia, ut suo loco constabit. Jam autem res periculosissima est, semitas antiquas relinquere & novis insistere. Non enim caret falsitatis suspicione, quod planè novum aut posterius immissum est. *Id verum est, ait Tertullianus contra Praxeam, quod est primum; id adulterum, quodcunq; posterius.*

Porro nec rationi consentaneum est, mysterium hoc Diabolo jam inde ab initio adventus Domini fuisse certò cognitum, quod hinc patebit. Principiò certum est, mysterium esse, quod Christus in carne manifestatus sit verus Deus aut Dei filius. Apostolus enim disertè illud *μυστήριον* vocat & quidem extra omnem controversiam magnum mysterium I. Tim. III, 16. Mysteriorum autem hæc indoles est, ut à nullo creato intellectu citra revelationem cognosci valeant. Ut enim nemo hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis: Ita & quæ Dei sunt, aut ex solâ ac liberâ ejus voluntate pèdèt, nullus cognoscit nisi Spiritus Dei, & cui ille hoc ut cognoscat, tribuit I. Cor. II, 21. *Sensum Domini, inquit Ambrosius in Comm. ad h. I., nemo novit, nisi qui de Deo est, Spiritus Dei. Inferiora enim non possunt superiorum scire consilium: neq; creatura conditoris sui dignoscere voluntatem.* Sunt enim talia *ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν κλισης φύσεως, supra mentem, supra rationem, supra condita nature captum,* ut loquitur Justinus aut quicumque Autor est Expositionis fidei, quæ Justino vulgò tribuitur. Hoc in specie ad mysterium incarnationis accommodat Leo M. Serm. X. in Natal. Domini: *Nativitas, inquit, D. N. J. C. superat omnem intelligentiam.* Et Isidorus Pelusiota, lib. II. Epist. c. CXCH. *Magnum revera, ait, pietatis mysterium μυστήριον incarnationis est, quod à nemine comprehendi possit. Omnem enim excedit sermonis & mentis vim.* Quid multis? Quod non nisi ex revelatione innotescat hoc mysterium, Christum esse æviternum DEI Filium, Christus ipse non ob-

scure indicat, dicens Matth. XI, 27. *Nemo novit filium nisi Pater, neq; Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cuicumq; Filius voluerit retere.* Et cum Petrus suo Collegarumq; nomine confessionem hanc de Christo edidisset, quod esset Filius ille Dei viventis, Matth. XVI, 16. regerebat Christus v. 17. *Caro & sanguis non retexit tibi (mysterium hoc) sed Pater meus, qui est in caelis.* *Christi mysterium,* ait Cyrillus Alex. lib. III, Glaphyrorum in Exodum, *adeo tectum & involutum est, ut opus sit superna institutione ac revelatione divina.* Hinc Petrus audivit, cum probe cognosceret, *carne factum Deum Verbum ac revera Filium, Beatus es Simon Barjona, quia Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis: Et Paulus asseverat sibi hoc mysterium innotuisse per revelationem DEI.* Hæc ille.

Si ergo Satanas mysterium hoc, quod Filius DEI carnem suscepisset, cognovit, ex revelatione utiq; & ipse cognovit. Sed ex quali revelatione? Num ex eâ fortè, quæ ipsi Satanae facta est? Ast quis crediderit, Deum Satanae peculiariter revelasse, per quem opus Redèptionis perfecturus esset, nempe quod facturus id esset per Filium, & quod hunc eo fine in mundum jam mississet, ut opera ipsius destrueret? Veteres si hîc rursus cõsulamus, invenimus non paucos in eâ fuisse sententiâ, quod ne sancti quidem Angeli hoc mysterium ab initio plenè cognitum habuerint. Nam & illi non aliter, quàm ex revelatione cognoscere id poterunt. Jam revelavit quidem illis sine dubio DEUS jam inde ab initio in genere, quod missurus esset humano generi Salvatorem, qui servaturus illud esset à peccatis & à pœnis peccatorum liberaturus. Hoc n. generale quoddam principium est, ad quod eorum officium ordinatur. Sunt n. *omnes administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatē capiunt salutis* Ebr. 1. 14. Ast quantum ad speciales rationes non statim de omnibus fuere edocti, sed successu temporis plus de iis cognoverunt, partim ex divina revelatione, partim ex usu & experienciâ eorum, quæ in Christo

Christo & Ecclesiâ ejus observarunt. Id quod ipse Apostolus non  
obscurè docet Eph. III, 8. ubi sibi omnium infimo, ait, datam esse gra-  
tiam hanc, ut illuminaret, h. e., patefaceret & doceret, quæ esset dis-  
pensatio Sacramenti absconditi à Seculo in Deo, qui omnia creavit, ut  
innotesceret principatibus & potestatibus cœlestibus per Ecclesiam mul-  
tiformis Sapientia Dei. Unde Chrysostr. Hom. de incomprehensi-  
bili: *Quantus, inquit, honor humana natura est habitus, ut nobis-  
cum & per nos cœlestes Virtutes Regis arcana cognoverint. Et Hom. I.  
in Joh. Nihil humanum, ait, nobis eloquitur (Johannes) sed ex abys-  
sis illis spiritalibus quodcumq; dixerit depromptum, ex illis, inquam,  
arcanis, quæ ne angeli quidem antequam erant facta, cognoverunt.  
Nam ii nobiscum & per nos didicerunt, quæcumq; novimus. Rursus  
Hom. XI, in I. Tim: *Mysterium omnivocis Filii Dei, inquit, ante-  
hac ne Angelis quidem ipsis manifestum fuit. Quo enim pacto, cum  
ipsis per Ecclesiam manifestatum sit? Idcirco, ait, (Apostolus I. Tim.  
III, 16.) reverà magnum est: nam profectò verissimè magnum prædi-  
catur. Homo n. factus est Deus & Deus homo — viderunt eam An-  
geli nobiscum. Mysterium ergò est. Autor Homiliæ de S. Petro & Pau-  
lo, quæ inter spuria Chrysostr. legitur Tom. V. oper. *Certare,  
ait, inter se cælum & terram de Apostolorum præconio, quod cœlestes  
Virtutes honorificis vocibus laborem ab ipsis in docendo susceptum col-  
laudent, utpote quod per illos incarnationis mysterium patefactum sibi  
fuerit, ut Apostolus testetur (Eph. III, 10). Ambrosius, aut qui-  
cumq; Autor est Commentarii in Epistolam ad Timoth. existi-  
mat mysteriū hoc, quod Christus fuerit verus Deus, demum ple-  
nè cognovisse Angelos post resurrectionem ejus. Apparuit, inquit,  
Angelis, non jam formâ humilitatis, sed in potestate. Tamdiu enim  
aspectu humilis visus est per carnem, quamdiu devictâ morte resur-  
geret à mortuis & videretur Majestas ejus, qui natus ut homo, non erat  
totus homo, aut agnoscentes Angeli mysterium quod prius latuit, de-  
claratum in carne, genu illi flectentes quasi gratias agant, quia didice-  
runt veritatem, quæ gentibus prædicata est, ut ab errore liberarentur.***

Theodoretus in Epist. ad Eph. I. III. Ne invisibiles quidem, ait, potestates norant mysterium, sed per dispensationem, qua in Ecclesia cernitur, ineffabilem Dei sapientiam didicerunt. Anastasius Sinaita lib. I. Anagog. Contemplat. Angelos sic loquentes introducit: Deum nosse & eloqui neq; ulla genita natura, neq; ipsa nostra sufficit, quandoquidem & qua inferne per carnem facta est, generationem a nobis quidem abscondit Deus & Pater: Hoc n. quod a Seculo ab omnibus absconsum fuerat mysterium, vobis filiis hominum dedit primis discendum: & per vestram Ecclesiam hoc nos postea agnovimus. Quod si propter ea, qua dicuntur, extimescis, o Auditor, ab hoc metu te liberabit Paulus dicens: Nunc enim abscondit, ut appareat Principatibus & Potestatibus. Oecumenius Comm. in Eph. III. repetit verba Theodoreti: Ne invisibiles quidem potestates noverant mysterium, sed per dispensationem factam circa Ecclesiam didicerunt ineffabilem Dei sapientiam. Et addit: Quando enim nos didicimus, tunc & illi per nos videntes Ecclesiam ex gentibus, & per illam ad cognitionem ducti. Et mox ex Gregorii Nysseni Homilia IIX. in Cantic: Ante tempora Salvatoris nostri, inquit, simplicem cognoscebant caelestes potestates Dei sapientiam, quam ex sola potentia assequebantur. Siquidem instinctu propria voluntatis Deus omnibus rebus esse dederat & qua condita erant incomprehensibilia potentia ut permanerent, servabat nec quicquam varium erat, sed quale videbatur, tale etiam erat. Nunc a. per dispensationem erga Ecclesiam & humanum genus iam non simplex, sed & vehementer varia cognita est Dei sapientia, qua contraria per contraria efficeret: per mortem vitam, per ignobilitatem gloriam, per crucem trophaum, per omnia abjecta, qua Deum decerent. Per dispensationem ergo circa nos, qua facta est in incarnatione cognita est vehementer varia Dei sapientia caelestibus potestatibus. Anselmus in Comm. Per Ecclesiam, ait, etiam Angelici Spiritus in cognitione hujus Sapientiae profecerunt, quia dum eam Christus, vel per se, vel per Angelos instituit, plurima secreta didicerunt Angeli, qua ignorabant. Haecenus ille.

Sed

Sed & alia loca adducunt Veteres, ut probent sanctos Angeles, si non omnes, saltem quosdam vel ipso adhuc tempore ascensionis nondum plenè cognovisse, quis in persona esset Christus. Cum enim Angeli Christum in cœlos ascendentem comitantes cæteris in cœlo constitutis acclamarent: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, ut introeat Rex gloria,* hi in stuporem quasi dati percunctabantur, *quis esset rex ille gloria?* quibus responsi loco dabatur: *Dominus virtutum, is ipse est rex gloria* Psalm. XXIV, 9. Ad hunc enim modum Dialogum istum exponunt Veteres magno numero. Justinus Philosophus ac Martyr Seculo II. in Dial. cum Tryphone eum considerans ita scribit: *Christus cum ex mortuis resurrexit & in cœlum ascendit, iusti sunt, qui in cœlis dispositi sunt, principes aperire portas cœlorum, ut ingrederetur, qui est rex gloria, & conscendens confederet ad dextram Patris, donec poneret inimicos suos subsellium pedum suorum. Quoniam namq; cœlestes principes eum in terris speciem informem & inhonoratam & obscuram habere viderent, non noscentes ipsum percontabantur: Quis est ille rex gloria? Et respondet eis Spiritus Sanctus aut ex Patris aut sui ipsius personâ: Dominus Virtutum, iste ipse est rex gloria.* Irenæus lib. IV. adversus hæreses c. LXVI. & ipse verba hæc de Angelis & ascensione Domini interpretatur: *Qui (inter Prophetas) ait, dixerunt, eum dormiisse, & somnum cœpisse & resurrexisse, quoniam Dominus suscepit Deum & precipientes principibus cœlorum aperire æternas portas; ut introeat rex gloria, resurrectionem ejus, qua est ex mortuis, per Patrem & receptionem in cœlos præconiaverunt.* Seculo III. Origenes Tract. XV. in Matth: hæc de re sic loquitur: *In istis duobus clamoribus (Prophetarum sc. Christum antecedentium & Apostolorum ipsum sequentium) ipse intravit in Hierusalem veram: admirantes a. Virtutes cœlestes, dicebant: Quis est hic? secundum quod fuerat prophetatum in Psalmo de ascensione ejus, & de admiratione Virtutum cœlestium propter novum vehiculum corporis ipsius. Habet autem ita: Tollite portas principes*

*cipeſ veſtras & elevamini porta aeternales & introibit rex gloria.*  
*Quis eſt iſte rex gloria? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in*  
*prælio. Seculo IV. Athanaſius Orat. II, contra Arianos: Pro*  
*nobis, inquit, cælum ingreſſus eſt Dominus — ut nos in eo ex-*  
*altemur, portasq; cælorum ingrediamur, quas ipſe pro nobis iterum ad*  
*aperuit, quo tempore ita dictum ab anteambulonibus: Attollite portas*  
*principes veſtras, & elevamini porta aeternales, & introibit rex gloria.*  
*Julius Firmicus Maternus de errore profanarum religionum:*  
*Tunc, ait, nempe tempore aſcenſionis, præcurrens ſalutare numen*  
*aperiri ſibi cæleſtes januas præcipit. Aperite, aperite & immortalia*  
*clauſtra convellite. Chriſtus Deus calcata morte ad cælum hominem,*  
*quem ſuſceperat, revocat. Hoc à venerando Prophetâ ſanctâ voce*  
*præcanitur & ex ore Prophetico vox jubentis auditur. Ait n. Spiritus*  
*Sanctus, ut nobis potentiam Chriſti jubentis oſtenderet: Tollite portas*  
*principes veſtras, & extollite portas aeternales, & introibit rex gloria.*  
*Hoc Angelis neſcientibus imperatur. neq; n. ſcire potuerunt, quando*  
*Verbum Dei deſcendit ad terram, idè & ipſi ſollicita interrogatione re-*  
*ſpondent. Quis eſt iſte rex gloria? Quibus quærentibus perſpicuâ*  
*Chriſtus numinis ſui Majeſtate reſpondet: Dominus fortis & potens,*  
*Dominus potens in prælio. Cognoscitur ſtatim à cuſtodibus cæli filius*  
*Dei, & quicquid illos ante feſellit, agnoſcunt. Vident proſtrati hoſtes*  
*exuvias, & recordati primæ diſpoſitionis ordinem, etiam ipſi cum aſcen-*  
*dentibus iterata pariter voce conclamant: Tollite portas, qui præſtis*  
*illis, & extollite vos porta aeterna & introibit rex gloria. Ambroſius*  
*lib. de initiandis c. VII. Dubitarunt, inquit, etiam Angeli cum re-*  
*ſurgeret Chriſtus, dubitaverunt poteſtates cælorum videntes, quod ca-*  
*ro in cælum aſcenderet. Deniq; dicebant: Quis eſt iſte rex gloria? Et*  
*cum alii dicerent: Tollite portas principes veſtras & elevamini porta*  
*aeternales, & introibit rex gloria; alii dubitabant, dicentes: Quis eſt*  
*iſte rex gloria? Similia hiſ habet IV. de Fide ad Gratianum Augu-*  
*ſtum c. I. & Lib. de inſtit. Virginis c. V: Gregorius Nyſſenus Orat.*  
*in Chriſti aſcenſionem: Hic excelsus Prophetâ (David) ait, ſupra*  
*ſeipſum*



seipsum egrediens, tanquam corpus onere nihil prematur, infert se cœlestibus potestatibus, & voces earum nobis exponit, cum in cœlum redeuntem Dominum ipsa comitantes Angelis, qui versantur in terris, quibusq; in humanam vitam ingressus commissus est, imperat ad hunc modum: Tollite portas principes vestras & elevamini portæ aternales, & introibit rex gloria. — Quibus Janitores: Quis est iste rex gloria? illi respondent demonstrantq; fortem & potentem in pralio, qui pugnaturus erat contra illum, qui naturam humanam in servitute captam detinebat, & everurus eum, qui mortis habebat imperium, ut gravissimo hoste superato, genus humanum in libertatem & pacem vindicaret. Rursum repetit easdem voces. Completum n. jam est mortis mysterium & victoria de hostibus reportata, & contra ipsos excitatum crucis trophæum. Ascendit in altum, captivam ducens captivitatem, qui vitam & regnum, & præclara hæc dona hominibus tribuit. Impositæ illi rursus patefaciendæ sunt portæ. Occurrunt ei nostri custodes, & portas jubent recludi, ut in ipsis rursus gloriam assequatur. Veram non agnoscunt eum, qui sordidam vitam nostræ stolam indutus est, cujus rubra sunt vestimenta ex humanorum malorum torculari. Itaq; rursus comites ejus vocibus illis interrogantur: Quis est iste rex gloria? Respondetur autem non amplius: Fortis & potens in pralio, sed Dominus Virtutum, qui mundi principatum obtinuit, qui summatim omnia in se collegit, qui pristinum in statum cuncta restituit, ipse est rex gloria. Hieronymus in XXIV. Psalm. in hanc sententiam ita scribit: Postquam Christus ascendit una cum corpore suo super omnes Virtutes cœlorum, angeli letati sunt: quia animas Sanctorum apud se illuc deduxit. Quis est iste rex gloria? Vox angelorū, qui apud Patrem semper fuerunt. Ac si dicerent: Nos Patrem & filium semper insimul esse videmus: iste rex gloria quis est? Et Lib. XVII. in Esaia. LXIII: Iste (Christus) inquit, est, quem Angelice potestates videntes ad Patrem ascendere cœlantem, imperant cæteris angelis, & ab eis audiunt: Levate portas principes vestras & elevamini portæ aternales, & introibit rex gloria. Quis est iste rex gloria? Dominus fortis & potens & c.

B

Et

Et Lib. I. in Zach. II. cap: Illud quoq̄, ait, quod in vicesimo tertio Psalmo legimus: Levate portas principes vestras & elevamini portae aeternales, ut introeat rex gloria. Rursumq̄, ab aliis Angelis dicitur, ignorantibus mysterium Incarnationis assumpta: Quis est rex gloria? Dominus Virtutum, ipse est rex gloria refertur ad Christum. Ruffinus in Exposit. Symboli: Quia, inquit, ingressus iste portarum caeli (loquitur de ingressu Christi ad caelos) aditus & principibus novus videbatur, videntes naturam carnis caelorum secreta penetrantem, dicunt ad invicem, sicut David plenus Spiritu denunciatur dicens: Tollite portas principes vestras &c. Seculo V. Theodoretus in Psalm. XXIII, (24): Quoniam vigesimus primus (vigesimalis secundus) Psalmus, ait, Oracula continebat de salutari passione nec non praedictionem de gentium salute; merito rursus hic, ubi de gentibus mentionem fecit, & earum cognitionem praedixit, & Domini ascensionem describit, & nobis Angelorum choros ostendit, hos quidem Dominum praecuntes, illos vero de super interrogantes & discere cupientes, quodnam illud novum sit spectaculum: Attollite portas principes vestras &c. Nemo a. invisibilium Virtutum inscitiam audiens, miretur. nec enim praesciunt, nec omnia sciunt: sola autem divina natura hanc scientiam habet. Angeli v. & Archangeli, aliq̄, Virtutum invisibilium coetus tot sciunt, quot discunt, & propterea divinus Apostolus de ipsis loquens ait (Eph. III.): Ut innotescat nunc principatibus, & potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei. Si autem & per ea, quae in Ecclesia gesta sunt, divinam sapientiam accuratius didicerant, absurdum est, caelestes Virtutes ignorare, humanam naturam videntes, & divinitatem in ipsa latentem minimè intuentes. Sec. VI. Anastasius Sinaita I. Anagogicarum contemplationum ad Hexaëmeron: Ascendens, inquit, (Dominus) stupore affecit potestates in caelis, quae dubitabant regentes eas, quae simul cum Domino ascendebant & dicebant: Quis est iste rex gloria? Pa-pa quam admirabilia sunt miracula & dona, quae Deus donavit humanae naturae in eâ habitans! Sec. XI. Olympiodorus apud Nicatam in Ca-

in Catenâ Græcorum Patrum in Jobum c. XIX. expendens verba illa ex Job. XXVI: *Et claustra cæli metuunt eum: Potestates, inquit, quæ in cælestibus portis collocantur, quibus etiã dictũ est (Pl. XXIV, 7.) Tollite portas, tanquam Deum, in carne redeuntem exhorruerunt.*

Similis est Dialogus, qui occurrit Esai. LXIII, 1, 2, 3. ubi Angeli (de illis namq; & hæc Prophetæ verba exponunt) Christo in cælos ascendente, admiratione moti sciscitabantur: *Quis est iste, qui de Edom, de terra (Edom enim terram significat) venit, & Cælum occupare vult?* quibus ille respondet: *Ego sum, qui loquor Justitiam & propugnator sum ad salvandum.* Origenes apud Pamphilum Martyrẽ in Apologia pro Origene: *Crucifixus, ait, (Christus) primogenitus ex mortuis factus & post resurrectionem assumptus in cælum secum terrenum corpus evexit, ita ut terrentur & obstupescerent Virtutes cælestes, videntes carnem ascendisse in cælum — quin quod nunquam viderant ante, nunc tandem videbant — & propterea dicunt: Quis est iste, qui venit de Edom, id est, à terrigenis? Rubor vestimentum ejus ex Bosor. Videbant enim vestigia vulnerum in corpore ejus, ex Bosor, id est, in carne suscepta.* Gemina his habet Tract. XV. in Matthæum. Ambrosius lib. de initiandis c. VII: *In Esaiã quoq; inquit, habes dubitantes Virtutes cælorum dixisse: Quis est iste, qui ascendit de Edom.* Et Tractatu in Symbolum Apostolorum: *Christo in cælos ascendenti dicitur (à quibus verò nisi ab Angelis?) Quis est iste qui venit ex Edom? & indumenta tua, quasi calcati torcularis? Et est sensus: Quis est iste, qui ascendit è terra, cujus vestimenta sanguine sunt respersa?* Hieronymus in Esaiã LXIII: *Angelica potestates, ait, videntes ad Patrem ascendere cruentũ — interrogant rei novitate perterriti (Mysterium enim Passionis & Resurrectionis Christi secundum Apostolum Paulum cunctis retrò generationibus fuerat ignoratum) Quis est iste, qui de terrã cruentus advenit? — Edom quippe in linguam nostram & terrenus & cruentus exprimitur.* Cyrillus Alex. lib. IX. Comm. in Joannem: *Idcirco, inquit, augustum & magnum illud adventus cum carne mysterium ignorantes cælestes Angeli,*

ascendentem mirabantur attoniti & novo atq; inusitato spectaculo turbati tantum non ajunt: Quis est iste, qui venit de Edom? h. e. de de terra. Sed ignaram admirabilis DEI ac Patris Sipientia supernam illam multitudinem Spiritus non dimisit, quin imò jussit, ut ei tanquam regi ac universi Domino caelestes portas aperirent, exclamantes: Tollite portas principes vestras &c. (Psalm. XXIV, 7.) Et Lib. V. Tom. V. Comm. in Esaiam: Sapienter & artificiosè Prophetica oratione reditum in caelos omnium nostrum Servatoris Christi tātū non depingit. Virtute enim dispensationis in carne ad finem perducta, ad caelestem Patrem, ad Deum ascendit, apparuitq; supremis potestatibus non solum in specie nostrā, id est, ut homo, sed etiam passionis signa monstrans inusitatum & insolitum omninò supremis potestatibus, hoc ipso exhibens spectaculum. Stupebant enim, cum viderent eum adventare, & dicebant: Quis est hic, qui advenit ex Edom? Græca a. linguā si quis Edom interpretetur, igneum, vel terrestre significat. Bosor carnis, vel carnalis. Quis est igitur hic, inquit, ex terra, vel terrestris? Dionysius, qui vulgò vocatur Areopagita lib. de Cœlesti Hierarchiā c. VII: Theologi, ait, quosdam (Angelorum) introducunt, à superioribus sacrosanctè eruditos, illum esse Dominum caelestiumq; Virtutum Regemq; gloria, qui humanā specie assumptus est in caelum: nonnullos item circa ipsummet Jesum hesitantes diviniq; ejus pro nobis suscepti operis scientiam discentes, ipsumq; Jesum eos per se docentem, ac primum ejus summam in homines benignitatem explicantem. Ego n. inquit, loquor justitiam & judicium salutaris. Miror a. primas etiam caelestium essentiarum, tantumq; cæteris prestantes, non secus ac medias, divinarum quoq; illustrationum desiderio timidè affici; neq; enim illa per se querunt, cur rubra sunt vestimenta tua? sed prius secum habitant attonita, declarantes quidē se discendi avidas divinae operationis appetere cognitionem, verum hanc, ante divinā indulta sibi illustrationis processionem minimè prævenire. H. i. Quod si verò mysterium ὀμνοποιίας Filii Dei ipsis sanctis Angelis ab initio plenè revelatum non fuit, quin aliqui eorum sero satis in notitiam ejus pervenerunt,

runt, qu' sibi persuaderi facile permiserit, intima istius arcani à principio statim Satanæ fuisse patefacta?

Supereft ergò ut dicatur, Satanam mysterium hoc cognovisse ex iis, quæ Deus antè revelaverat populo suo per Prophetas. Sed nec hoc est verosimile. Multò magis n. id inde SS. Angeli cognovissent, quippe quorum intellectus perspicacior sine dubio est, quàm Dæmonum, quos peccato suo in horrendas mentis tenebras incidisse nemo facile in controversiam vocaverit. Ast multi veterum, ut vidimus, existimant hoc mysterium ne ipsis quidem sanctis Angelis plenè tum temporis innovisse. Quamvis enim aliqua hujus mysterii in Scripturâ Vet. Test. contineantur vestigia, clarè tamen id nusquam illic expressum legitur, quod Messias futurus esset unigenitus Dei filius, sed manifestatio hujus reservata fuit temporibus Novi Testamenti, quo revelanda erant mysteria à temporibus Seculorum tacita Rom. XVI, 25. Col. I, 26. Gal. III, 23. Hinc Irenæus Seculo II. Lib. IV. c. XLVII. expressè ait, *quod in Novo Testamento ea, quæ est ad Deum, fides hominum aucta sit, additamentum accipiens Filium Dei, ut homo particeps fieret DEI.* Et Tertullianus Sec. III. lib. adversus Praxeam c. XIII. ita scribit: *Nemo alius præter unus DEUS & unus Dominus prædicabatur & futurum erat, ut ipse Pater descendere videretur, quia unus Deus & unus Dominus legebatur; & tota òmnivocia ejus obumbraretur, quæ in materiam fidei prospecta atq; dispensata est. At ubi venit Christus & cognitus est à nobis, quod ipse qui numerum retrò fecerat, factus Secundus à Patre & cum Spiritu Tertius, & jam Pater per ipsum plenius manifestatus, redactum est jam nomen Dei & Domini in unionem.* Eodem Seculo vixit Gregorius Thaumaturgus, qui Serm. I. in Annunciat. S. Mariæ, totidem verbis asserit mysterium hoc ne à Patriarchis quidem & Prophetis fuisse cognitum, sed Mariæ primum revelatum. Sic n. ille verba Angeli ex Luc. I: Spiritus S. superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit te, ideò sanctum, quod ex te nascetur, Filius Dei voca-

B 3

bitur.

bitur, exponens: *Nosti, inquit, o Maria, qua Patriarchas & Prophetas latebant. Didicisti o Virgo, qua adhuc Angelis etiam fuerunt abscondita. Audisti, o Sanctissima, qua nunquam divino Spiritu afflatorum chorus audire meruit. Moyses n. & David, Esaias & Daniel, cunctiq; Propheta de ipso predicaverunt, sed modum rationemve ignorarunt. Tu vero sola, o Sanctissima Virgo, qua his omnibus ignota fuerunt mysteria, nunc suscipis, causamq; intelligis.* Seculo IV. Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus floruit, qui in hanc sententiam ita scribit lib. de Communi essentia Patris, Filii, & Spiritus S. sub finem: *Judeorum, qui semper in Deum offendunt, aliqui in carnem Christi impingunt, id est, in Filium hominis, eum Prophetam, non Deum existimantes, quibus veniam dedit. Id enim initium erat predicationis, cum nondum capax erat mundus, ut Deum illum esse crederet, qui homo apparebat.* Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVII. de Spiritu., qua est V. de Theologia n 58: *Ex accessione, ait, & incremento ad perfectionem ventum est. Sic n. se res habet. Vetus Testamentum Patrem aperte predicabat, Filium obscurius: Novum autem Filium perspicue ostendit & Spiritus divinitatem subobscurè quodammodo indicavit. Nunc v. Spiritus ipse nobiscum versatur, seseq; nobis apertius declarat. Neq; n. tutum erat, cum Patris divinitatem nondum confessi essent, filium aperte predicari, neq; filii divinitate nondum admissa, Spiritum S. veluti gravius quid, ita loquendo, nobis ingeri: ne alioqui veluti cibus ultra vires gravati ac Solis radiis hebetes oculos adicientes iis quoq; quibus prae diti eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus & ut David loquitur (Psalm. LXXXIII, 6.) ascensionibus, atq; ex gloria in gloriam progressionibus & incrementis Trinitatis lumen magis illuminatis illucesceret.* Ambrosius aut quicumq; Autor est Comm. in I. Cor. II. *Per hoc exemplum, inquit, inopinata res facta est, & qua non solum in humanum sensum non caderet, sed & caelestes potentias lateret, Dei scilicet Filium incarnatum.* Seculo V. Johannes Cassianus claudit. Apud eum Lib. III. de Incarn. c. X. ista leguntur huc facientia: *Benè in mysterio absconditam*  
dicit

dicit (Apostolus i. Cor. II.) Dei fuisse sapientiam, quia nullius hoc unquam hominis vel oculus videre, vel audire auris, vel cor potuit cogitare, quod majestatis Dominus vel nasciturus esset ex virgine, vel venturus in carne. Alios, quorum testimonia magno numero adduci possent, mittimus. Non sine causa a. Deus mysterium hoc tunc clarè patefacere noluit. Recenset non unam, sed plures inter alios & Jobius Monachus apud Photium in Bibliothecâ Codice ccxxii Lib. VI. n. 31. & 33. Inter cæteras autem & ob hanc ipsam id factum dicit, ne mysterium hoc Satanas cognosceret. Verba ejus n. 31. hæc sunt: *Neceffe erat incarnationis Dominica mysterium velut umbrâ tegi, cum ut ab audientibus cupidius acciperetur, tum ut id tenebrarum Princeps ignoraret.*

Ast non obscurè, inquires, prædictum fuit à Prophetis, quod Messias filius Dei futurus esset. Sic enim Deum sermonem de ipso ad Davidem facientem dicere: *Erit mihi Filius, & ego ero ipsi Pater*, 2. Sam. VII, 14. Et Psalm. LXXXIX, 27. 28: *Ipse invocabit me Pater meus & ego primogenitum dabo eum excelsum regibus terra.* Et Psalmo II, 7. ad Messiam ipsum hæc fari: *Filius meus es Tu, ego hodiè genui Te.* Hoc autem Satanam latere vix potuisse, quod Jesus noster sit Messias. Facile enim illum tanquam sagacissimum Spiritum id colligere potuisse vel ex iis, quæ conceptioni & natiuitati ejus erant adnexa, veluti ex annunciatione Angeli, extortius cœlestis exercitus congratulatione, Magorum adoratione, Simeonis testimonio & similibus aliis. Deniq; verosimile esse, quod non procul fuerit Satanas, cum Christus baptizaretur, & Pater voce cœlitus delapsus attestaretur, quod ipse Filius suus dilectus esset, in quo acquiesceret Matth. III, 17.

Verum hæc nimis adhuc infirma sunt, quàm ut nobis eam sententiam persuadeant. Principio enim ponamus, quod tamen & ipsum, quo minus fieret, Deus facile impedire potuit, ponamus, inquam, Satanam interfuisse annunciationi tam conceptionis factæ Virgini, quam natiuitatis factæ Pastoribus ab Angelo; audi-

viff

visse quoq; totum coelestem exercitum congratulantem, Simeonem testantem, deniq; & Magos vidisse adorantes, indeq; colligere potuisse, quod Christus esset verus mundi Messias, nondum tamen evictum est, quod actu ipso id inde collegerit. Quidni n. justo DEI judicio Satanæ idem obvenire potuisset, quod Paulus ait accidisse hujus Seculi sapientibus, qui cum omnem exhaurivisse sibi videretur sapientiæ abyssum, stulti tn. facti sunt 1. Cor. I, 20. seq: Et quod etiamnum Judæis obvenit, quorum cordi usq; in hodiernum diem velamen Mosis superimpositum est, ut ea quoq;, quæ luce sua fulgent, cognoscere non valeant 2. Cor. III, 15. c. IV, 4. Excæcati enim sunt oculi eorum & cor ipsorum induratum est, ut non videant oculis & non intelligant corde Joh. XII, 40. Esa. VI, 9. Ideò audiunt quidem verbum, sed sensum ejus salutarem non deprehendunt. Tale judicium, si & Diabolum, cujus opera ut dissolveret, Filius Dei in mundum venerat, comprehendisse dicamus, nempe ut audierit quidem, quæ ab Angelis, Simeone, aliis de Christo dicebantur, sed mentem eorum non satis affecutus sit, quid absurdi dixerimus? *Tantum enim Demonibus innotuit de mysterio hoc, quantum voluit Deus, tantum autem voluit, quantum oportuit,* inquit Augustinus lib. IX. de Civitat. DEI c. XXI. Intima autem hujus mysterii Satanam cognoscere non oportebat, ut ex iis, quæ infra dicemus, constabit. Sic ex colloquio Angeli conceptionem Mariæ annunciantis colligere poterat, si tamen illi interfuit, quod nunc cum illis supponimus, JESUM, qui ex ipsâ nasciturus erat, fore Messiam. Hunc enim ex Virgine nasciturum esse Esaias prædixerat c. VII, 14. & tamen pleriq; Patrum existimant latuisse hoc Diabolum, quod Jesus Nazaræus esset Virginis filius. Quin hanc ipsam inter alias fuisse causam, cur ex desponsatâ Virgine Deus nasci eum voluerit, n. quo partus ille Virgineus Diabolum fugeret. Ex quo enim prolatum Propheticum Oraculum, Virginem concepturam & parituram filium, Diabolum insidiatum fuisse Virginitati, matrimonii



monii autem velo id fuisse ei opertum. Ita jam olim Ignatium,  
discipulum Apostolorum & S. Martyrem sensisse refert Hierony-  
mus in Matth. I: *Martyr Ignatius, inquit, causam, cur à desponsatâ  
conceptus sit filius Dei, hanc reddit: Ut partus, inquit, ejus celaretur  
Diabolo: dum cum putat non de Virgine, sed Uxore generatum. Sed  
& ante Hieronymum idem testatus erat Origenes Hom. VI. in Lu-  
cam: Eleganter, inquit, in Sancti cujusdam Martyris ( Ignatium di-  
co Episcopum Antiochia post Petrum Secundum, qui in persecutione Ro-  
mae pugnavit adversus bestias ) epistolâ quâdam scriptum reperi:  
Principem hujus Seculi latuit Virginitas, latuit propter Joseph, latuit  
propter nuptias, latuit, quia habere virum putabatur. Si enim non ha-  
buisset Sponsam & ut putabatur, Virum, nequaquam potuisset principem  
hujus mundi abscondi. Statim enim cogitatio Diabolo tacita subre-  
psisset: Quomodo ista, quæ non concubuit cum viro, pragnans est?  
debet iste conceptus esse divinus, debet aliquid humanâ naturâ esse sub-  
limius. Basilii M. quoq; his gemina habet Hom. XXV. de hu-  
manâ Christi generatione: Affertur, ait, & hac ratio à quodam  
ex antiquo (Ignatium absq; dubio & ipse indigitat): Ut Maria Vir-  
ginitas seculi hujus principem, Diabolum lateret, nupta Josepho fuit,  
ut nuptiarum nomine suspensus facile deciperetur. Virgines namq; in-  
primis observabat, è quarum numero Unam parituram ex Propheta  
(Esaia) cognoverat, dicente (c. VII, 14.): Ecce Virgo concipiet,  
& pariet Filium. Virginitatis igitur insidiator observatorq; sub ma-  
trimonii specie factus ignorans, à malignitate abstinuit. Hæc ille.  
Eandem rationem affert & Origenes ipse Hom. I. de diversis: Quæ  
fuit necessitas, inquit, ut desponsata esset Maria Josepho, nisi propter  
ea quæ, hoc Sacramentum Diabolo celaretur, & ille malignus fraudis  
commenta adversus desponsatam virginem nulla penitus inveniret.  
Consentit Gregorius Thaumaturgus Serm. III. in Annunciat. S.  
Mariæ Virginis, ita scribens: Cur desponsatam virginem matrem  
constituit filio suo Deus? ne citius latro mysterium cognosceret. Quod  
etenim per Virginem rex venturus esset, improbum non latebat. Nana  
C & Esaia*

Et Esaia illa verba ipse audiebat: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium. quare & quotidie Virginis vocem observabat, ut ubi mysterium hoc impleretur, infamiam prepararet. Ideo Dominus per desperationem venit, ut improbum lateret; quae enim desponsata fuerat, deinceps sponso tradenda erat. Ast nonne audierat Satanas Virginem, quando cum Angelo colloquebatur, dicentem, quod Virum non agnovisset Luc. I, 34. 35, & Angelum respondentem, quod per adumbrationem Spiritus filium conceptura & paritura esset? Si audivit verba haec, & tamen non cognovit Jesum Nazarenum ex Virgine natum esse, sine dubio Deus ligavit intellectum ejus, ne verborum sensum plenè assequeretur. In qua sententia & Thomas est part. III. Quaest. XXIX, art. 1 ad 3: *Dicendum, inquit, quod, sicut Augustinus dixit in 2. de Trinit: (tertium forsitan voluit dicere. In eo enim c. 7. & 8. tale quid licet non κατὰ τὸ πῆλὸν, tamen κατὰ τὴν δύναμιν reperitur) Diabolus multa potest virtute natura sua, à quibus tamen prohibetur virtute divina. Et hoc modo potest dici, quod virtute natura sua Diabolus cognoscere poterat Matrem Dei non fuisse corruptam, sed virginem: prohibebatur tamen à Deo cognoscere modum partus divini. Quid ergo si idem in cæteris quoq; quæ ab Angelis Pastoribus visis, Simeone item & Magis aliisque audierat, ei contigisse dicamus? Apparet, inquit Cajetanus in c. IV. Lucæ hæc considerans, intellectum demonum ligatum s. impeditum esse à Deo in pœnam peccati, ita quod non solum potentia eorum est ligata, sed etiam intellectiva vis, ut non possent cognoscere, quæ ex vi luminis naturalis cognoscere potuissent.*

Sed cognoverit ex prædictis istis, Christum esse mundi Messiam, numquid ideò & cognovit statim ipsum esse verum ac naturalem Dei filium? Non utiq;. Quamvis n. Messias revera futurus erat Dei filius, non tamen necesse est eum, qui cognovit quodantenus Messiam, & hoc continuò cognovisse. Una namq; eademq; res diversimodè ab aliis atq; aliis cognosci potest. Veluti eandem rem, quam unus cognoscit distinctè, alius potest cognoscere saltem

tem

tem confusè; quin & unus idemq; qui nunc rem confusè cognoscit, alio tempore eam distinctè cognoscere potest. Quà de revindendus est Aristoteles Lib. 2. Prior. c. XXV. §. 7. & 1. Post. c. 1. §. 5. Sic multi sub V. T. crediderunt, Deum Messiam populo suo esse missurum, & per eum opus redemptionis ejus perfecturum, aut, quod naturalis Dei Filius is futurus esset, id omnes cognovisse, unde demonstrabitur? Antiquis sanè Ecclesiæ Doctoribus id persuasum non fuit, qui sub Novo demum Test. planè innotuisse mysterium hoc disertè affirmant, ut jam ostendimus n. V. Pharisæos ipsos principes Judæorum Doctores latuisse hoc mysterium tam planum est, quàm quid esse potest. Hinc enim fiebat, ut cum Salvator quæreret ex illis, quomodo David Messiam Dominum suum nuncupet Ps. CX, 1. cum tn. futurus esset ejus filius, & absolum sit regem, qui se superiorè inter homines non agnoscit, filium suum Dominum appellare, nemo illi quicquam respondere posset, Matth. XXII, 43. seq. quod certè in proclivi ipsis fuisset, si cognovissent, Messiam fore naturalem ac unigenitum Dei filium. Sed hoc ignorabant, imò absurdum unà cum cæteris Judæis æstimabant, quin idè ad necem Christum quærebant, quod cum homo esset, Patrem suum Deum diceret, seq; hoc ipso Deo æqualem faceret Joh. V, 18. c. X, 33. & coram Pilato adversus ipsum agentes juxta legem suam eum mortis reum esse clamabant, quod Filium Dei se fecisset Johan. XIX, 7.

Excipient forsan, oscitantia hoc ac negligentia Judæorum adscribendum esse, quod mysterium illud non agnoverint. Ex Scriptura enim, & quidem iis ipsis, quæ n. VI. adducta sunt locis id facilè eos cognoscere potuisse, si mentem advertissent, quod Diabolum fecisse verisimile putant. Verum in istis locis simpliciter saltem dicitur, quod Messias futurus esset Dei Filius; aut modus non exprimitur, quo futurus erat Dei filius, nempe naturalis & unigenitus. Sanè constat filiorum appellatione non rarò generaliter intelligi dignitate aliquà insigni divinitus ornatos,

aut etiam singulariter Deo acceptos & dilectos. Hoc pacto Israel passim dicitur Dei filius, veluti Jerem. XXXI, 20: *Pretiosus mihi Ephraim Filius.* Quæ verba Chaldæus ita reddidit: *Sicut filius dilectus coram me est Israel: utiq; puer amabilis est.* Et Ose. XI, 1. *Ex Aegypto vocavi filium meum,* h. e. populum Israel, quem non minore amplector & prosequor affectu, quàm Pater filium. Magistratus autem à Davide Ps. LXXXII, 6. *filii excelsi* vocantur propter dignitatem, quâ Deo sunt proximi. Unde Chaldæus vertit: *Veluti Angeli vos estis reputati, & tanquam Angeli excelsi vos omnes.* Jam certum quidem est, quod singulari quâdam ratione Messias futurus erat Dei filius; ast hanc rationem ipse demum exprimere debebat ut ipsemet indicat dicens: Psalm. II, 7. *Ego recitabo ipsum statutum: Dominus dixit ad me, filius meus es Tu.* Quæ verba Chaldæus quidem Paraphrastes eodem modo, quo prædicta illa ex Jer. XXXI, 20. exponit, quasi hic eorum sit sensus: *Dilectus sicut filius es Patri, tu mihi purus es, ac si die isto creavissem te;* ast rectius mysterium aliquod in iis contineri agnoscitur, quod sub N. T. primum Messias manifestaturus esset. Neq; aliam ob causam in cæteris istis locis non in præsentem ait Deus: *Filius meus est,* quem Messiam constitui, sed in futuro: *ERIT mihi Filius, & ipse VOCABIT me Pater meus,* quàm ut indicet, modum, quo Messias futurus esset Dei Filius, tum demum plenè cognitum iri, cum Messias ipse advenerit. Aliàs n. non in tempore coepit esse Dei Filius, sed is ipse fuit jam ab æterno. Inde & Christus sibi ipsi hoc singulariter adscribit, quod revelaverit hominibus nomen Patris: *Pater, inquit, manifestum feci, nomen Tuum hominibus, quos dedisti mihi selectos è mundo.* Joh. XVII, 6. Quale hic intelligit nomen? sine dubio ipsum nomen Patris, *Hoc,* ait Tertullianus lib. de Orat. c. III., *remini ante proditum fuerat. Etiam qui de ipso interrogaverat Moses, aliud nomen audierat. Nobis revelatum est in filio. Jam n. filius novum Patris nomen est. Ego veni, inquit, in nomine Patris. Et rursum: Pater glorifica nomen Tuum. Et apertius, Nomen Tuum*

Tuum manifestavi hominibus. Chrysoſtomus Hom. LXXX. in Joh:  
Magni Conſilii, ait, Angelus dicitur filius Dei, & aliorum qua do-  
cuit gratiã, & principaliter quod Patrem hominibus annuntiavit, id  
quod in præſentiã inquit: Manifestavi nomen Tuum hominibus. At qui  
manifestum erat nomen. Nam & Esaias inquit: Juraſtis Deum ve-  
rum — ſed — non eſt idem, noſſe verum opificem eſſe & filium habere.  
Auguſtinus Tract. CVI. in Johann. verba illa Chriſti exponens:  
Manifestavi, inquit, nomen Tuum, non illud nomen, quo vocaris  
DEUS, ſed quo vocaris Pater meus: quod nomen manifeſtari ſine ipſius  
Filii Dei manifeſtatione non poſſet — In hoc enim quod Deus dicitur  
uniuerverſa creatura — quod fecit hunc mundum, cælo terraq; conſpi-  
cuum, & antequam imbuerentur in fide Chriſti, notus omnibus genti-  
bus Deus, in hoc autem quod non eſt in injuriis ſuis & cum diis falſis co-  
lendus, notus in Judæa Deus. In hoc verò quod Pater eſt hujus Chri-  
ſti, per quem tollit peccata mundi: hoc nomen ejus prius occultum o-  
mnibus nunc manifeſtavit eis, quos dedit ei Pater ipſe de mundo. Cy-  
rillus Alexandrinus lib. XI. Comm. in Johan. c. VII. Manifeſtavit,  
ait, nomen Patris filius, non ſolum certiores nos faciendo & exactam  
doctrinam dando de ejus divinitate (iſtud enim etiam ante adventum  
per Scripturã divinitus inſpiratam predicabatur) ſed præterquã quod  
eſt verè Deus, Patrem quoq; verè eſſe, ac dici, habentem in ſeipſo & ex  
ſeipſo ſuum Filium, ſua natura coæternum. — Pleniffima enim co-  
gnitio de Deo in hoc ſita non eſt, ut Deum eſſe tantum cognoscamus, ſed  
& Patrem, & cujus ſit Pater, una quoq; ſubente cognitione ſancti  
Spiritus. Sane quippe Deum tantum eſſe, nobis non magis quam iis,  
qui ſub lege ſunt, convenit. nec enim id ſapientia Judaica modum ex-  
cedit. Et quemadmodum Lex nihil ad perfectum adduxit, qua nobis  
erat inſtar Pædagogii, nec ad perfectam pietatis rationem ſufficiebat, ſic  
imperſectam quoq; de Deo cognitionem inſerebat, quippe qua à ſolo fal-  
ſorum Deorum cultu avocaret, unumq; ac verum adorandum ſuade-  
ret. — Dominus autem noſter Jeſus Chriſtus mandatis Moſaicis ap-  
ponens meliora, & legali præcepto clariorem doctrinam afferens, me-

liorem priscâ illâ cognitionem nobis largitus est. Palam enim nobis fecit non solum univ[er]si Parentem Dominum ac Deum esse, sed & Patrem. Theophylactus Comm. in Joh. XVII. Quamvis (Judæi), inquit, cognoverunt Deum, non tñ. ut Patrem cognoverūt, sed ut opificem solum, filius autem Patrem manifestavit, & sermonibus & operibus illum notum faciens. Nam cum se filium Dei demonstravit, manifestum quod simul demonstravit & illum fuisse Patrem. Rupertus lib. XII. Comm. in Johan: Quod, ait, est nomen Dei (quod Christus manifestavit hominibus) nisi Pater Jesu Christi? Etenim cetera nomina Dei, quaecunq[ue] in lege sunt, audire vel scire potuerunt homines ante adventum ejusdem Christi. Hoc autem nomen, quod est Pater, vel cujus Filii relatione Pater credendus sit, nunquam cognitum fuisset, nisi veniens ipse filius hominis illud manifestasset. Hæc illi. Ex quibus patet, Christum primum nobis Deum ut Patrem suum, puta naturalem manifestasse & consequenter mysterium hoc, quod ipse esset naturalis Dei Filius, primum clarè proposuisse. Quod si verò ipse primum revelavit modum, quo diceretur filius Dei, unde verisimile reddetur, Satanam modum hunc, anrequam Messias eum revelaret, cognovisse? Non magis n. absconditum verborum Scripturæ, in quibus de mysteriis captum rationis creatæ in univ[er]sum omnis transcendentibus agitur, sensum assequi creatæ naturæ opus est, quam mysteria ipsa per vestigare, sed ad hoc itidem revelatio Dei ipsius requiritur, utpote ex cujus inspiratione Scriptura profecta est. Unde Petrus disertè ait, Prophetiam nullam esse ἰδιῶς ἐπιλόγειας, propria explanationis, sed gratiam Spiritus requiri, ut quis Prophetias intelligat & exponat, quandoquidem & non lubitu hominum, sed dictante ipso Sancto Spiritu consignate sint 21. v. 20, 21. Sicut Propheta, ait Beda in Comment. h. l. non sua propria, sed Dei verba scribebant: Ita & Lector eorum non sua propria interpretatione potest uti, ne à sensu veritatis exorbitet, sed hoc omnimodo debet attendere, quomodo sua verba voluerit intelligi ipse, qui scripsit. Ad id autem sine dubio necessaria est illu-

illuminatio S. Spiritus, quâ singulariter eum Satanam dignatum  
fuisse, infensissimum illum Dei ac totius generis humani hostem  
quis crediderit?

Regerent, non immediatè revelatum illi à Deo fuisse,  
quod in 11: cc: de naturali ac propriè dicto Dei filio sit sermo,  
colligere tamen eum id potuisse ex voce cœlitus delapsâ, cujus  
n. VI. secundo loco ab illis fiebat mentio. Sed quomodo id  
inde colligere potuit? num per conjecturam, an per *ἀποδείξι*.  
Illud si adstruatur, non inus inficias, Satanam id quadante-  
nus ex voce illâ consideratis cum primis & cæteris circumstan-  
tiis conjicere potuisse. Et cœlum namque super ipso aperiēba-  
tur, & DEUS eum vocans filium suum articulum adjiciebat,  
dicens: *ἔστιν ὁ υἱός*, q. d. *Hic est filius ille meus singulariter mi-  
hi dilectus, & κατ' ἐξοχὴν ita dictus.* Nam & Philosophi ipsi an-  
notant discrimen esse inter vocem simpliciter & cum præfixo ar-  
ticulo prolatam, veluti inter *ἀγαθόν* & *τὸ ἀγαθόν*, quæ duo quod di-  
versa sint docet inter alios & Aristoteles 1. Prior. XL. Illud enim  
de quovis bono usurpatur; hoc autem de eo, quod *κατ' ἐξοχὴν* bo-  
num est, h. e. inter omnia bona summum, ut rectè observat Ale-  
xander Comm. in istum locum. Ast non est hoc universale. Nam  
& ipse Aristoteles bonum in communi definiens, voci *ἀγαθόν* ar-  
ticulum præfigit dicens: *διὸ καλῶς ἀπεφώνησαν τὸ ἀγαθόν, ἔστιν ἐφίε*,  
1. Ethic. j. Inde *ἀποδεικτικῶς* ex verbis illis concludere id nequivit  
Satanas. Et quo fine tentavit Christum mox ab isto tempore,  
bis repetens illud, *si filius Dei es*; Matth. IV, 4. & 6? Sanè non alio  
fine id fecit, quam ut exploraret, quo sensu Dei filius dictus fuis-  
set. Ideò dicebat: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*; Et  
rursus: *Si filius Dei es, mitte Te deorsum*. Ast non necesse habuisset  
id tentando explorare, si jam ante plenè perspectum habuisset.  
*Tentare enim idem est, quod experiri*; ut Nonius Marcellus ait lib:  
de variâ significatione Sermonum c. IV. Et Nicolaus Perottus in  
Commentariis linguæ latinæ Epigrammate XXVIII. de Nauma  
chia

chia: Tentare, ait, experiri est & exquirere, ut apud Ciceronem: Tentare volui: an ita dici possit, ut probarent.

Novum hoc argumentum est, quo passim utuntur Patres ut probent, Satanæ ante dictū tempus mysterium hoc non fuisse plenè perspectum. Ignatius aut quicumq; Autor est Epistolæ ad Philippenses Satanam alloquens: *Non me latuisti, inquit, tuo antiquo consilio, neq; ignoro, quod curvè & lubricè incedas. Ast tu ignorasti, quis ille esset? — Dicebas enim, si filius Dei es, dic ut lapides hi panes fiant. Illud autem, si filius Dei es, ἀγνοίας Θεοῦ, ignorantia est. Si enim id reverà rescivisses, intellexisses, quod ex aquo possit rerum universalium Conditor & facere quod nō est, & mutare quod est.* Seculo II. Justinus Philosophus & Martyr in Dial. cum Tryphone sic scribit: *Postquam ipse Christus ex amne Jordane ascendit voce de eo edita: Filius meus es Tu, ego hodiè genui Te, in Apostolorum Commentariis, scriptum est, accessisse hunc ipsum Diabolum & tentasse illum, eousq; ut diceret: Adora me — nam perinde se huic quoq; aliquid facere posse duxit, atq; Adam in fraudem seduxisset. Hæc ille. Ast tales cogitationes Satanæ non subrepissent, siquidē is Christum verum ac naturalem Dei filium esse certò cognovisset. Ire-næus Episcopus Lugdunensis & S. Martyr IV. adversus Hæreses c. XIV. dicit, Diabolum audivisse quidem quod Christus esset filius Dei, sed non credidisse, quod reverà esset Dei filius, naturalis scil. & unigenitus, indeq; tentasse eum & dixisse: Si Tu es filius Dei. Et lib. V. c. XXI. Ad illud, inquit, quod ait (Satanas) Si filius Dei es, tacuit (Salvator) excæcavitq; eum hominis confessione, & per paternam dictionem primum ejus impetum evacuavit. Clemens Alexandrinus aut quicumq; Autor est Excerptorum è Theodoti scriptis apertè ait, Diabolum non credidisse, quod Christus esset verus Deus & hac de causa ipsum tentasse. Ὁ διάβολος, inquit, ἠδὲ ἐλάσσομαι τὸν κύριον, εἰ ἦ θεὸς αὐτὸς εἴη, ὅτι ἠπίστατος. διὸ καὶ ἐπειράζειν αὐτὸν, ἵνα γινῶ εἰ δυνατὸς Θεῖν. Diabolus cognovit, Dominam esse venturum. an autem Deus ipse esset, non credidit, ideò tentavit ipsum, ut cognosceret, num satis potens esset.*



esset. Seculo III. Origenes Hom. VII. in Lucam, postquam dixerat Servatorem disposuisse *ὀκνοῦν* suam ignorare Diabolum, probat id & hoc argumento: *Hinc cum ab ipso Diabolo tentaretur, nusquam confessus est Dei se esse filium, sed tantummodo respondebat: Non oportet ut adorem Te, nec ut lapides istos panes faciam, ut me de alto precipitem. Et cum ista diceret, tacuit semper se esse filium DEI.* Cyprianus Carthagenensis Episcopus & Martyr in Sermo de jejuniis & tentationibus recensens verba Satanæ Christum tentantis: *Si filius Dei es, dic ut lapides, isti panes fiant, ait: Nec vult fateri Christum filium Dei, sed dubie dispensatque consulens tēdiculas blandis innectit sermonibus, ut obaudientē sibi reddat obnoxium & se de compassionis specie reddat acceptū. Caro & lassitudo & cætera hujusmodi hominem testabantur, Virtutis integritas & vita carens omni peccato perfectius ei privilegium adscribebant; & divinitas potentissima ex ipsis effectibus negari non poterat. Fuerant & ante Christum Viri insignes Prophetæ & Sacerdotes, sed in peccatis concepti & nati, nec Originali nec personali caruere delicto: & inventa est in omnibus vel ignorantia vel insufficientia, in quibus erronei peccaverunt & eguerunt misericordiā DEI, per quem edocti & restituti gratias egerunt DEO & ad plenitudinem Justitiæ multum sibi deesse confessi sunt — Non ita Christus, in quo Verbi carnisque sic convenit natura, ut nulla alteri ex altero injuria deveniret, quia in carne sociā nullam divinitus maculam reperit, nec secuta est, nec precessit. Hac naturarum conjunctio Diabolum excacabat, quia impossibile ei videbatur, vel quod esurire posset divinitas, vel quod tanta tolerantia possit esse, tantaque potestatis corporalis humilitas. Duplicem itaque inquisitionem sinuosā calliditate orditur, ut de Christo, utrum naturalis Dei filius sit, ipso respondente, certitudinem habeat.*

Seculo IV. Hilarius Pictavorum in Galliā Episcopus Canoniz. in Matth. *Erat, inquit, in Diabolo de metu suspicio, non de suspicionem cognitio: movebatur enim quadraginta dierum jejuniis. Sciebat totidem diebus aquas abyssi effusas, exploratam repromissionis terram,*

D

Moyse

Moyſi legem à Deo ſcriptam, annorum quoq̄, quibus plebs in eremo vi-  
za Angelorum habituq̄ manſit, hunc numerum expletum fuiſſe. Igitur  
iſtius temporis metu intentando eo, quem hominem contuebatur, ſum-  
pſit temeritatem. Adam enim pellexerat & in mortem fallendo tra-  
duxerat. Sed ita dignum nequitia eius & ſcelere erat, ut in eo, cujus  
morte & calamitate prius gloriabatur, homine vinceretur, & qui Dei  
beneficia homini invidiſſet, ante tentationem Deum in homine intelli-  
gere non poſſet. Et paulò poſt: Non erat à Deo, ait, ſed à carne vin-  
cendus Diabolus, quam utiq̄, tentare auſus non fuiſſet, niſi in eà per e-  
ſuritionis infirmitatem qua ſunt hominis cognoviſſet, quam utiq̄, in eo  
ſentiens, ita orſus eſt: Si filius Dei es. Anceps ſermo eſt, ſi filius Dei es.  
Ambroſius Episcopus Mediolanenſis lib. IV. in Comm. in Lu-  
cam Tom. 3. Oper. Cognoverat, ait, Damon filium Dei venturum, ſed  
veniſſe per hanc infirmitatem corporis, non patabat. Sic tentat, ut ex-  
ploret: ſic explorat, ut tentet. E contra Dominus ſic fallit, ut vincat;  
ſi adhuc vincit, ut fallat. Nam ſi convertiſſet naturam, proderet Crea-  
torem. Et lib. II. eorundem Commentariorum: Fefellit, inquit,  
pro nobis, ut vinceret: fefellit Diabolum, cum tentaretur, cum ro-  
garetur, cum Dei filius diceretur, ut nuſquam divinitatem pro-  
prium fateretur. Hieronymus Stridonenſis Commentario  
in IV. Matth. Esurienti, ait, congruè dicitur, dic ut lapides iſti panes  
ſiant; ſed duobus contrariis teneris Diabole. Si ad imperium eius po-  
ſſunt lapides panes fieri: ergò fruſtra tentas eum, qui tanta potentia eſt.  
Sin autem non poteſt facere, fruſtra filium Dei ſuſpicaris, dicens: Si  
filius Dei es, dic ut lapides iſti panes ſiant. Hæc ille. Si autem ſuſpi-  
catus ſaltem eſt Diabolus, Chriſtum eſſe filium Dei, utiq̄, certò il-  
lud non cognovit. Suſpicio enim cum dubitatione ſemper eſt  
conjuncta. Rurſus poſt pauca ſic ſcribit Hieron: In omnibus ten-  
tationibus hoc agit Diabolus, ut intelligat, ſi filius Dei ſit; ſed Dominus  
ſic reſponſionem temperat, ut eum relinquat ambiguum. Johannes  
Chryſoſtomus Presbyter primùm Antiochenus, hinc ArchiEpi-  
ſcopus Conſtantinopolitanus Hom. XIII. in Matth. hæc habet  
verba:

verba: Cum autem (Satanas) venientem de caelo vocem atq; dicentem:  
Hic est filius meus dilectus audisset, itemq; Johannem testimonium illi  
tam insigne perhibentem, ac deinde ipsum esurientem videret, magno  
teneri caepit ambiguo. Nam neq; hominem illum esse nudum credere  
poterat, propter ea, quae divina vox de eo protulerat: nec rursus istud  
recipere, quod filius esset Dei, quem esurientem videbat. Itaq; maxima  
rerum conclusus angustia, voces emittit ancipites. Et sicut in rerum  
primordiis accedens ad Adam, finxit illa, quae non erant, ut quae erant,  
disceret: Ita hic quoq; nesciens manifestè suscepti hominis Sacramen-  
tum & quisnam esset hic praesens, retia jacere molitur, per qua se istud  
secretum opinatur addiscere. Si Filius, inquit, Dei es, dic ut lapides  
isti panes fiant. Non dixit, quandoquidem esurias; sed si filius DEI es:  
videlicet existimans posse illi aliquid per laudum blandimenta suffura-  
ri. Idcirco non commemoravit esuriam, ne hoc ei quasi exprobrare atq;  
obicere videretur. Magnitudinem quippe tanta dispensationis igno-  
rans, istud ei erubescendum putabat, propter quod dolosa illum adulati-  
one palpando solius mentionem facit dignitatis. Et Homil. V. in di-  
versos Matth. locos: Provocat, inquit, Diabolus ut tentet, & sequi-  
tur Dominus ut vincat. Hujusmodi autem tentationis certamen ini-  
micus ita exorsus est, dicendo ad Dominum: Si filius Dei es, dic ut la-  
pides isti panes fiant. Nesciens ergo dispensationis divinae mysterium,  
interrogat, quod ignorat. Dubitantis enim hac vox est, qua sciscita-  
tur & dicit: Si filius Dei es. Audierat jam Virgini ab Angelo nunciatū,  
quod esset filium Dei paritura, Viderat & Magos suos, inanis scientiae  
errore deposito natum puerum supplices adorare. Viderat & post ba-  
ptismum velut columbam Spiritum S. descendentem. Audierat & vo-  
cem Patris de caelo dicentem: Hic est filius meus. Audierat & Joannem  
publicā voce testantem: Hic est, qui tollit peccata mundi. Tot igitur te-  
stimoniis perturbatus, novissimè consternatus hac voce & inter omnia  
quae audierat, magis timuit; quia cum ipse mundum peccatis impleisset,  
audit venisse qui tolleret mundi peccatum. Exterritus quidem his tot  
ac tantis vocibus fuerat, sed nondum plenè credebat: quia quem audie-

rat DEI filium, interim hominem videbat, & in carne conspiciebat, quem audierat tollere mundi peccata. Utrum ergo vera essent, quae audierat, pavidus ac tremebundus explorat. Vidit quidem Dominum quadraginta diebus & noctibus jejunantem, sed non statim DEI filium perditus credere voluit. Recolebat enim Moysen & Heliam 40 diebus similiter jejunasse, & ideo an verè ipse sit DEI filius, signo aliquo proposita virtutis exquirat. Proponit ergo: Si filius, inquit, Dei es, dic ut lapides isti panes fiant — Ast Dominus non dignatur ei respondere, quod ipse esset DEI Filius, sed celat à divinitate solo legis responso velut quaedam cum sagittà percussum. Autor Operis imperfecti apud Chrysostomum Hom. V: Multis modis, ait, Diabolus audierat, quia Christus natus est in hoc mundo, aut Angelis predicantibus ad Pastores, vel pastoribus referentibus ad Mariam, vel Magis quarentibus in Hierusalem eum adorare, cujus viderant, stellam, vel Joanne ostendente: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed faciebat illum incertum natura ejus carnalis. Dicebat enim apud se, Hic non potest esse Filius Dei, qui de muliere & de viro natus est. Nam & ideo de desponsatà & in domo habità natus est, ut partus Virginis Diabolo celaretur. Si autem de simplice Virgine natus fuisset, facile poterat cognoscere Diabolus, quia Filius est Dei. Cogitaret enim apud se, Maria fornicata non est. Si a. fornicata fuisset, ego sine dubio scirem: quia omnis fornicatio me ministrante committitur. Sine dubio iste Filius Dei est. Nec enim potest fieri, ut de muliere homo sine viro nascatur. Ideo desponsata intravit domum Joseph, ut dum maritalis conceptio aestimatur, unigeniti Dei nativitas non cognoscatur? Hic est rex gloriae, qui pannis involutus, nec locum in diversorio potuit invenire, sed in praesepio positus est? Hic est Creator rerum, qui creavit omnia & per singulos aetatis gradus ascendit? Hic est ille, factus qui cum peccatoribus ut peccator est baptizatus? Quid ergo? ipse eum tentabo, & si quidem invenero eum hominem, sicut puto, dominabor illi, sicut omnibus hominibus: si autem invenero eum sicut audio Filium Dei, post modum recedam ab eo, nec congregiar contra eum: quoniam qui vadit  
contra

contra fortiorem, occasionem illi victoria providet, si autem subduxerit se, evacuat virtutem ejus. S. Maximus Homil. II. de Jejunio Quadragesim: Cum, inquit, videret Leo ille feralis agnum Dei post longissimum atq; continuum quadraginta dierum ac noctium jejunium esurire & esurientem Deum esse non crederet, antè illum callidissima tentatione aggreditur, dicens: Si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant. — Quod si fecerit, cogitans, Deum probabo, si nequiverit, hominem deprehendam. Et Hom. IV: Aggreditur, ait, Diabolus tentare Christum exploratq; sollicitus, si fortè illum esse Dei Filium deprehendat, cui nullam corruptionis suae videt inesse vestigium. Miratur pariter ac turbatur hujusmodi in hoc saeculum adventasse hominem, qui natus quidem esset de foemina, sed non esset ab homine procreatus. Suspiciatur illum esse Dei Filium, quem continuatum quadraginta dierum videt explicuisse jejunium. Sed rursus dubitat, divinam illi inesse naturam, quem quasi infirmum inter ceteros homines perspicit esurire. Inter ista ergo Diabolus dubius & incertus hoc cum esuriente Domino sermone congreditur, si Filius DEI es, dic ut lapides isti panes fiant.

Seculo V. Augustinus Hipponensis in Africà Episcopus Lib. IX de Civ. Dei c. XXI: Dubitavit, inquit, de illo Damonum princeps eumq; tentavit, an Christus esset, explorans, quantum se tentari ipse permisit, ut hominem, quem gerebat, ad nostrae imitationis temperaret exemplū. Autor Quaestionum ex N. T. apud eundē q. LXVI. Tom. IV. operum: Daemonia, ait, sciebant ipsam quidem esse. Omnia enim signa videbant in eo, quae dixerant futura esse Prophetae, ut quod ex semine David de Virgine venturus esset redemptor Israel, mysterium autem divinitatis ejus ignorabant, sicut & princeps eorum. Deniq; querit, quamvis captiosè, Diabolus à Salvatore dicens: Si Tu es Filius Dei &c. Videns enim aliquando divinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quod verum esset, torquebatur. Johannes Cassianus lib. VII. de Incarnatione Domini c. XI: Diabolus, inquit, cum eum (Christum) omni illecebrarum ambitu, omni requi-

via sua arte tentaret, quid aut nesciens suspicabatur, aut tentans scire cupiebat? aut quid tantopere eum moverat, quod Deum in hominis humilitate querebat? Numquid documentis prioribus id didicerat? aut quem verò in humano corpore Deum venisse cognoverat? Non utiq̃. Sed magnis signorum indicis, magnis rerum experimentis, & veritatis ipsius vocibus ad suspicionem & inquisitionem rei hujus compellebatur. Ideò licet hominem extrinsecus in JESU videret, Filium Dei investigabat dicens: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Numquid Diabolo contemplatio hominis suspicionem divinitatis eripuit, ut per hoc quod hominem videbat, crederet Deum esse non posse? Non utiq̃. Sed quid ait: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Non ambigebat utiq̃ esse posse, quod an esset, perscrutabatur. De veritate ei erat sollicitudo. Theodoretus Cyri Episcopus Orat. X, de Provid. Tom. IV. Oper: Vidit, ait, infelix hostis famem & victoriam speravit pugnamq̃, confidenter aggressus est. Atq̃ Adamum se videre putavit, ubi famis passionem cernit. Caterum tanquam ad Adamum accessit, sed Adamum Creatorem Adamum naturà amictum invenit, & ait ad eum: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant — — Cui Servator ut homo responsum dedit, & divinitatem ad tempus abscondens hominibus similiter victoriam procuravit. Cælius Sedulius Presbyter lib. II, Paschalis operis, quod extat Tom. IIX. Bibl. Pp. c. X. Ecce, inquit, dicens Diabolus: Si Filius Dei es, ostendit hoc se nescire. Basilus Seleuciæ Isauriæ Episcopus Orat. XXIII: Ignorantem suam, ait, videl. quod nesciret Christum esse naturalem DEI Filium, ut paulo ante dixerat, prodidit Diabolus, dum in Jordane res geritur. Cum n. audisset latam de cælo vocem: Hic est Filius meus dilectus, ei per ignorantiam dicebat: Si Filius Dei es, mitte Te deorsum. Profectò si ad Deum, quem noverat, loquitur, quomodo proposita sui dejectione territare connititur? Si quidem Dei natura neq̃ altitudinem novit, neq̃ profunditatem. Petrus Chrysologus Serm. XII. Ubi jejunantem, inquit, vidit SUSPICATUR, Deum. At suspicio, ut jam ante dicebamus, non est de re, de quà quis per omnia, quod

quod ita se habeat, certus est. Leo Magnus Episcopus Romanus  
Serm. IV. de Quadragesimâ: *Expavescens, ait, Diabolus in Christo*  
*quadragesima dierum noctiumq; jejunium explorare callide voluit,*  
*utrum hanc continentiam donatam haberet, an propriam, ut non me-*  
*tueret deceptionum suarū opera solvenda, si Christus ejus esset conditio-*  
*nis, cujus corporis. Primo itaq; dolo scrutatus est, an ipse esset substantia-*  
*rū Creator, qui verū corpore arū posset, in qua vellet, mutare naturas.*

Seculo VI. Gregorius Magnus Episcopus Romanus  
lib. II. *Moralium in Jobum c. XVI: Antiquus hostis, inquit,*  
*Redemptorem humani generis debellatorem suum in mundum venisse*  
*cognovit — qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret & mortalia*  
*posse perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate sus-*  
*picatus est, ei fastu superbiae in dubium venit. Nihil quippe nisi super-*  
*bum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitavit.*  
*Unde & ad tentationum se argumenta convertit, dicens: Si filius Dei*  
*es, dic ut lapides panes fiant. Quia igitur passibilem vidit, non Deum*  
*natum, sed Dei gratia custoditum credit.* Seculo IIX. Beda  
in Anglia Presbyter Commentar. in Luc. IV. *Christus, ait,*  
*dierum 40. jejunio fatigatum Diabolus hominem cognoverat, nec*  
*tentando valebat, an & Dei Filius esset, experiri.* Seculo IX. vi-  
xit Christianus Druthmarus dictus Grammaticus, Monachus  
Corbeiensis. Is Expositione in Matthæum, quæ extat Tom. XVI.  
Bibl. M. Patr: *Audivit, inquit, (Satanas) in baptismo vocem dicen-*  
*tem, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ideo tenta-*  
*vit eum, ut exploraret, si ipse esset, qui per Prophetas prænuntiatus es-*  
*set, verus Filius Dei, aut adoptivus, sicut de Israel audiverat, Filius*  
*meus primogenitus Israel. Et postea: Per omnes tentationes hoc in-*  
*quirit (Diabolus) quali modo esset Filius Dei: utrum adoptivus, an*  
*proprius. Sed Dominus, qui exemplum nobis venerat dare & in dictis*  
*& in factis, & Diabolum dubium reddidit & nobis insinuavit, quid fa-*  
*cere debeamus, quando tentamur.* Floruit eodem Seculo Strabus  
Fuldensis Monachus, qui autor esse fertur Glossæ ordinariæ, quæ  
tamen

tamen postmodum ab aliis aucta fuit. In illâ Glossa ad Matth. IV. verba illa: *Si Filius Dei es, dic &c.* hæc leguntur: *Aliud horum exploratis est, aliud tentantis, dum Deum confiteri videtur & homini illudere conatur. Sic enim tentat, ut exploret, quod veretur. Sic explorat, ut tentando decipiatur. Si Filius Dei es. Noverat Filium Dei venisse in mundum seu per Prophetas, seu per Angelos nunciantes, seu per Joannem demonstrantem, sed quia humilia in eo videbat, quod de Deitate suspicatus est, ex superbiâ ei in dubium vocavit. Unde & callidè exquirat, sed quia ex responsione Christi victus & incertus remansit, post primam & secundam recessit tentationem. Et post pauca ad illa verba: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, repetit verba Hieronymi: *In omnibus tentationibus hoc agit (Satanas), ut intelligat, si Filius Dei sit. Sed Christus sic responsum temperat, ut ambiguum relinquat.**

Seculo XI. Theophylactus Bulgarorum Episcopus in Matth. IV. Audierat, inquit, vocem cœlestem latro; at nunc videt eum esurientem & dubitat adhuc, quomodo Filius Dei esuriat & idcirco tentat eum, ut discat. Adulatur autem ei putans se quid suffuraturum, dicendo, *si Filius Dei es.* Et in Luc. IV. verba illa Satanæ: *Si es Filius Dei, mitte te deorsum*, expendens: *Adulans ei ita nugatur, ait, se fortassis adulatione deceptus se Filium Dei ostentare velit, dejiciendo se deorsum, quo cognosceret, quis nã esset.* Anselmus Laudunensis, autor glossæ interlinearis in Matth. IV; *Hoc, inquit, explorat Satanæ, quod timet, sed Christus temperat responsum, ne cognoscat eum esse Deum.* Seculo XII. Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. IV. Comm. in Matth. Tom. 2. Operum; *Inanis gloria, ait, fuisset, si secundum suggestionem tentatoris fecisset, dicentis: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant — Dicit aliquis: Nobis ad fidem vel ad cognoscendam Dei gloriam profuisset, si lapides convertisset in panes — Imò magis hoc nobis ad gloriam Dei prodest, quod legimus, quia testimonium suæ divinitatis Dei Filius Diabolo communicare dedignatus est.* Hæc ibi Rupertus. Qui tamen, ne quid sub ticeamus, non constare sibi per omnia videtur. Nam lib. XII. de Victoriâ Dei c. IV.



c. IV. ait, Satanam tentasse Christum, non ut cognosceret quasi incognitum, sed ut corrumperet cognitum. Etc. XIV: Sciebat quidem, inquit, Diabolus ipsum Jesum Nazarenum esse Christum Filium Dei, & ob salutem venisse generis humani, sed nesciebat secretum à seculis absconditum Sapientia Dei consilium, quod de morte unius renasci deberet vita omnium. Quam sententiam ante Rupertum quoque aliquos fovisse ex Christiano Druthmaro colligere est, qui c. XXII. Expositionis in Matthæum ita scribit: Sic ut dicunt aliqui Doctorem, non idcirco Diabolus persuasit Judæis Christum crucifigere, quasi eum nesciret Christum esse, sed quia se non prævideret morte illius damnandum. Sed aliquorum saltem, ut ipse Druthmarus ait, hæc opinio fuit, quam ab initio & Rupertus amplexus fuit, cum libros de Victoriâ Dei conscriberet, postea autem mutavit sententiam. Post hæc namque libros deum, ut apparet ex Præfatione Operis de Divinis officiis, scripsit Commentarios in Matthæum, in quibus verba, quæ paulò ante citavimus, leguntur, quibus consona habet & in his ipsis, quorum modò mentionem faciebamus, libris, de divinis, inquam officiis, ut infra commodius videbimus. Et sanè si Satanas hoc certò jam tunc cognovit, quod Christus esset naturalis Dei filius, multò magis verisimile est, eum tum cognovisse, quod pro salute hominùm moriturus esset. Hoc enim longè clarius de eo prædictum erat, quàm illud, veluti apud Esaiam, ubi disertè de Messia dicitur, quod pro peccatis aliorum positurus esset animam suam & hinc semen longævum visurus esset, cap. LIII. 10. & v. 12. quod traditurus in mortem animam suam esset peccata multorum laturus, ut alia similia vaticinia nunc præteream. Denique eodem Seculo XII. claruit Bernhardus Abbas Claravallensis. Hic Serm. I. de Resurrectione ita loquitur: Quid trina illa tentatio inimici in deserto, in pinnaculo supra montem? Si filius Dei inquit, es, dic ut lapides isti panes fiant. Et iterum: Mitte te deorsum. Ne verum Christus fecit, ut signaretur liber, ut falleretur astutus. Denique eousque seductus est, ut haberet jam pro constanti, hominem esse purum.

E

¶ 173



*& in tantā vefaniā superbia cæca poruperat, ut non diceretur ultra:  
Si filius Dei es, sed, Hæc omnia dabo Tibi, si procidens adoraveris me.*

Sed fortassis paulò post tentationem hanc ex miraculis cognovit Satanæ, quod Christus esset verus ac naturalis Dei Filius? Ita quidem aliquibus videtur. Attamen neque hoc satis solidè probari potest. Quamvis enim verisimile sit, illum miraculis, quæ ex isto tempore viderat, magis adhuc motum fuisse, ut suspicaretur, eum esse naturalem Dei Filium, nihilominus cum tenuem ejus rursus & abjectam in mundo intueretur conditionem, fluctuare iterum cœpit. Tale quid Judæis obvenisse est extra controversiam. Multi eorum eandem ab initio, doctrinam ipsius & miraculosa opera spectantes, fovebant sententiam, quam Josephus, & ipse Judæus, de illo expressit XIX. Antiqu. VI. sic scribēs: *Fuit & Jesus sapiens Vir, si tamen virum eum nominare fas est, mirabilium operum effector & Doctor eorum hominum, qui libenter, quæ vera sunt, audiunt.* Sed mox in illis obliterabatur rursus hæc opinio, quod viderent in eo multa infirmitatis humanæ indicia, quæ in Deum cadere non posse putabant. Idem si dicamus usum venisse Satanæ, absurdi non erimus. Cujus enim impulsu verba illa, quibus Christum in cruce calumniabantur prætereuntium aliqui, dicentes: *Si Filius Dei es, descende de cruce, effutiebāt, nisi Satanæ, qui iisdem penè usus fuerat in principio ministeriū Christi, cum tentaret illum?* Quo fine autem instigabat illos, ut tale quid quærerent? Veterum aliqui rursus dicunt, ideò id factum ab eo, ut vel tandem certus fieret, an is qui pendeat in cruce, esset unigenitus Dei filius? Ast Christus noluit descendere, sed voces imbecillitatis emittendo: *Eli, Eli, lama sabachthani, Deus meus, Deus meus cur me dereliquisti,* Satanam potius adhuc magis ambiguum reddere voluit. *Illi quidem, ait Origenes Tract. XXXV, in Matth: deridentes dicebant: Si filius Dei es, descende de cruce. Ipse autem filium Dei se deridentibus quidem non ostendebat, ostendit a. credentibus sibi, postquam dispensavit, quæ oportebat eum dispensare.*

dispensare in tribus illis diebus, postquam descendens ad inferos mortificatus corpore, viscatus a. in Spiritu, Spiritibus qui erant in carcere predicavit. — Et non est derelictus illic. — Oportebat a. eum & ascendere ad proprium Patrem ac Deum, ut ascendens in altum — ostenderet se fortiorē morte dicens ad eam: Ubi est mors aculeus tuus? Athanasius de passione & cruce Domini: Draco, inquit, optabat eum de cruce descendere & non mori — Metuebat n. ne is esset ille unctus, in legationem mittendus ad omnium liberationem, de quo scilicet vaticinatus fuerat Esaias (LXI, v. 1.) — Ast Dominus emitendo voces humanas, & voces imbecillitatis simulando dicens: Heloi, Heloi, lama sabachthani, h. e., Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti, ab hac opinione retraxit illum. Theophanes Archiepiscopus Tauromenitanus Homil. XXVII, quæ est in passionem Domini: Cum conatus, ait, omnes adhibuisset (Satanas) ubi vidit eum (Christum) omnia forti animo sustinere, in ipsâ cruce illum aggreditur, ac prætereuntes ipsos impellit, ut blasphement & dicant: Si filius Dei es, descende de cruce — — Cum enim signa vidisset, timebat, ne Deus esset, id quod erat; & eum lacescit, ut à cruce descendat, ut quod erat divine dispensationis summa disturbaretur. Porro cur Christus noluit Discipulos suos mysterium hoc ante ejus passionem & resurrectionem propalare? Ediderat Petrus de ipso confessionem nomine totius Collegii, quod esset Christus, filius ille Dei viventis, ast Christus mox interdicebat ipsis, ne ulli id dicerent Matth. XVI, 16, 20. Quæ hujus interdicti causa erat? Veteres eandem rursus quam ante, afferunt, nempe ideò id factum, ne Satanæ mysterium hoc ante tempus resurrectionis ejus innotesceret. Factum hoc, ait Ambrosius Lib. VI. in Luc. IX, ut falleret principem mundi. Et Cyrillus Alex. lib. III. Comm. in Johan. VI, v. 13: Dispensationis, inquit, dignitatem Deo convenientem celavit Christus quodammodo, priusquam patiendi tempus adveniret. Id enim imprimis studebat, ut seculi hujus principem lateret. Et lib. IX. eorundem Comment: Precipit, ait, discipulis, ut nemini prorsus hac dicerent, principem

quippe seculi hujus celare suam naturam sibi proposuerat. Denique  
Apostolus Rom. I, 4. de Christo ait, quod potenter declaratus sive  
demonstratus & manifestatus sit *Filius Dei ex resurrectione* s. à  
tempore resurrectionis ejus. Ante hac ergò nondum plenè de-  
monstratus & manifestatus erat Dei filius. Quamvis enim nos  
haud fugiat, verba hæc à nonnullis aliter exponi, quidam tamen  
eà quoq; , quam nos modò indigitavim9, ratione & ista interpre-  
tantur. *Hic, ait Ambrosius in h. l., qui incarnatus quid esset late-  
bat, tunc predestinatus est secundum Spiritum sanctificationis in Vir-  
tute manifestari filius Dei, cum resurgeret à mortuis, sicut scriptum  
est in Psalmo LXXX: Veritas de terra orta est. Omnis enim ambigui-  
tas & diffidentia resurrectione ejus calcata est & compressa.*

Quid verò ad hoc dicemus, quod ipsi Dæmones Christum  
Dei filium confessi fuerint ante passionem ejus? Cum enim in  
regionem Gergesenorum venisset, eiq; duo dæmoniaci occurre-  
rent, clamabant ex illis Dæmones: *Quid nobis tecum Jesu fili Dei?  
Venisti hac ante tempus torquere nos?* Matth. IIX. v. 29. Origenes  
Homiliã VI. in Lucam respondet, Dæmones quidem ceteros,  
quod minus mali sint, cognovisse mysterium hoc; ast non ante-  
signanum eorum, Diabolum. *Considera, inquit, quia minor in  
malitiã noverat Salvatorem, qui verò major est in scelere & versipel-  
lis, & nequam ex eo ipso, quod in malo major est, impeditur nosse filium  
Dei. Nos quoq; ipsi, si minus habuerimus mali, facilius possumus ad  
Virtutem procedere. Si verò magis in nobis fuerit mali, ingenti labore  
sudandum est, ut majori malitiã liberemur. Hæc ille. Verùm non  
arrident ea Hieronymo, qui Origenem sine dubio notans ita scri-  
bit Commentar. in Matth. IIX: *Ridiculè putant quidam, dæ-  
mones scire filium Dei, Diabolum ignorare, eò quod minoris malitiã  
sint isti, quàm ille, cujus satellites sunt, cum omnis scientia Discipulorum  
ad Magistrum referenda sit. Alii dicunt, dæmones dicentes Je-  
sum filium Dei, non hoc indigitasse, quod Christum pro naturali  
Dei filio haberent, sed hominem sanctum eum esse existimarent.*  
Jam*

Jam enim supra n. X. notavimus, filiorum Dei appellatione in Scripturis saepius venire, qui dignitate aliquâ insigni divinitus instructi sunt. Ita argumentum hoc solvit Basilii Seleuciensis Orat. XXIII. *Filium Dei, ait, vocant (Dæmones) cum interim filium ignorent Deum. Deî namq; filii vocati sunt, & quicum ad virtutis culmen evasissent, summam cum Deo familiaritatem iniverunt. Tale illud (Exod. IV, 22.) Primogenitus filius meus Israel. Ac iterum (Psal. LXXXII, 6.) Ego dixi Dii estis & filii excelsi omnes. Ac iterum (Gen. VI, 2.): Videntes a. filii Dei filias hominum. Nec enim hoc nomen naturæ tantum, sed & familiaritatis nota. Et videtur hæc solutio ex Marc. I, 24. confirmari posse. Loco enim ejus, quod ap. Matth. & Lucam legitur: *Quid nobis tecum Jesu Fili Dei,* apud Marcum hæc verba ponuntur: *Quid nobis tecum Jesu Nazarene? Novimus te quis sis, sanctus Dei.* Verum aliis neq; hoc est ad palatium, quoniam apud Marcum non simpliciter dicitur: *Novimus, quis sis,* nempe *ὁ ἅγιος τῆς θεῶν, sanctus Dei,* sed addito articulo singularem *ἕνα* habente: *ὁ ἅγιος, ille sanctus Dei,* quem DEUS Salvatorem mundo missurum olim populo suo pollicitus est. *Sanctus,* ait Victor Antiochenus Sec. IV. à. N. C. Comm. ad Marci I, qui habetur Tom: I. Bibl. M. Pp, *erat Prophetarum unus quilibet. Verum non loquitur hic (Dæmon) de vulgari quopiam vate, aut promiscue sortis homine: sed unum illum, qui ex uno procedit, præsto esse annunciat, siquidem per articulum adjectum unum quempiam præ cæteris eximium determinat, metuq; percussus omnium dominum se agnoscere ventiquam dissimulat.* Sic & Theophylactus in Marci I: *Non dixit immundus ille: Sanctus es (multi enim Prophetæ sancti fuerunt) sed ille Sanctus, adjectione articuli ille Unicus & prædestinitus.* Eadem & Euthymii est observatio, aliorumq;.*

Alii ergò existimant, Dæmones Christum Dei filium vocantes indigitasse quidem, quod pro naturali Dei filio cum haberent, verum non eo animo, quasi omnino sua opinione ita serres haberet, sed adulatorum saltem ei fuisse, ne torqueret ipsos. In hæc

sententiâ est Titus Bostrorum in Arabiâ Episcopus Seculo IV. aut quisquis autor est Commentariorum in Lucam, qui habentur Tom. XIII. Bibl. Pp. Sic enim ille ad verba ista: *Scio te, quia es sanctus Israel: Hoc ideò, inquit, nequam Spiritus agebat, quia fore sperabat, ut per hujuscemodi adulateria blandimenta aliquod inanis glorie desiderium in ejus pectore excitaret, eaq; ratione efficeret, ne vel se, vel sui ordinis alios inereparet, hanc nimirum gratiam pro impensâ gratiâ rependens. At fraudulentus prado, quam consecrâbatur gratiam, non est assecutus. Deus enim non irridetur, nec dolo ullius capitur. Quare Dominus impuram illius linguam mox compescit, utq; ab eo, quem occupatum tenebat, abscedat, cum Majestate indicit. Hæc ille. Quæ ita se habere quis credere posset, si soli Dæmones, quibus nihil quicquam familiarius est, quam mentiri & adulari, affirmassent, se Christum cognovisse: ast ipsi præterea Evangelistæ, qui, quippe Spiritu S. ducti, falsum dicere nequiverunt, idem astruunt. *Dæmonia*, ait Marcus eodem capite I. v. 34. *multa eiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant illum.* Et Lucas IV, 41, 42: *Exibant & Dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia Tu es Christus filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum.* Verum possent & aliter verba hæc Evangelistarum exponi. Sic enim illa habent: *καὶ ἡ Φιλία, ὅτι εἶα, λαλεῖν τὰ δαίμονια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν.* Quæ & sic verti possunt: *Non sinebat Dæmonia loqui, quoniam cognoscebant eum, uti reddidit Vulgatus interpres. Et ita: Non sinebat Dæmonia dicere, quod ipsum nossent. Quem posteriorem sensum Syrus Interpres videtur esse secutus. Sic enim verba apud Marcum reddidit: Nec permittebat ipsis Dæmonibus, ut loquerentur, quod ipsum noverant. Apud Lucam autem: Increpabat eos, nec permittebat eis dicere nosse se, quod ipse esset Christus. Cæteri tamen Interpres Orientales priorem sequuntur. Sic enim Arabs verba Marci reddidit: Nec permittebat eis (Dæmonibus) loqui eò, quod agnoscerent ipsum. Verba Lucæ autem sic vertit: Increpabat eos, & non sinebat eos loqui: quoniam sciebat**

sciebant, ipsum esse Christum. Nec aliter hæc verba interpretati sunt  
Æthiops & Persa. Sic enim ille ea transtulit: *Objurgabat eos, &  
non sinebat eos loqui, quoniam cognoscebant, quod Christus erat.* Hic  
autem: *Christus in ea (dæmonia) severus fuit, nec permittebat ea  
loqui; sciebant autem, quod ipse esset Christus.* Inde nec suffecerit  
fortassis, si dicamus, dæmonibus hanc vocem occultos quosdam  
cruciatus extorsisse, quò inclinare videtur Theophanes Homilia  
IX, ubi verba hæc dæmonum expendens sic scribit: *Dubitandi  
locus hic est, undenam dæmonibus hæc cognitio advenerit? minime  
enim credendum est, eam ipsos intrinsecus habere, postquam à divinâ  
gloriâ exciderunt, & tenebrae appellati sunt, qui lux antea diceban-  
tur.* Verum id sagaci quâdam & solerti dispensatione factum, ut ipso  
etiam inimicorum testimonio conspicua fieret divina gloriæ magnitu-  
do: nam divina quedam vis mastigias illos occulto quodam modo  
cruciabat, quæ etiam hæc dicere compellebat. Sed quid si dicamus  
cum Ambrosio aut quicumq; Autor est Commentariorum in 1.  
Cor. II. Dæmones quidem scivisse ipsum esse, qui in lege promissus  
erat, *Mysterium tamen ejus, quod Filius DEi esset, nescivisse?* Quam  
solutionem præter Sedulium ib: & Lyra amplectitur in Marc: 1.

Quicquid hujus rei sit, non negamus, ut jam supra m. dixi-  
mus n: XVII, Christum dæmonibus, ipsiq; Satanae, post tentatio-  
nes superatas per opera & miracula magis magisq; innotuisse, e-  
osq; nō semel in hæc opinionē venisse, quod Christus esset natu-  
ralis DEi filius, verum opinio saltem illa fuit aut conjectura, non  
constans & stabilis scientia, quæ omnem dubitationem exclude-  
ret. Neq; n. ex miraculis solis apodicticè id concludere pote-  
rant. Hoc quidem inde sufficienter colligere valebant, quod  
eximiè sanctum Deoq; acceptissimum hunc hominem esse oport-  
teret, sed quod naturalis ac proprius DEi esset filius, id evidenter  
inde inferre ipsis nondū fuit inproclivi, cum & Apostoli similia  
quin & majora miracula juxta promissionem Christi Joh. XIV.  
12. patrarint: dubii potius manserunt atq; inter utramq; opi-  
nionem

ationem fluctuarunt, usq; ad resurrectionis tempus, quo ipsis de-  
mum plenè innotuit, quod propria virtute miracula operatus  
fuisset. Hæc ratione dubium illud passim solvunt Veteres. Hiero-  
nymus in Comm: ad Matth: IX. verba illa: Quid nobis & Tibi  
Jesu fili DEi: *Tam Demones, inquit, quam Diabolus (Dæmonum  
princeps) suspicari magis quam nosse filium DEi intelligendi sunt.*  
Victor Antiochenus inc. i. Marci ad verba ista Dæmonum: *Quid  
nobis & Tibi Jesu Nazarene?* ita scribit: *Te tandem, clamat ne-  
quam Spiritus, presentem conjicio, te tandem advenisse suspicor. Nam  
etsi hoc absolute se scire simulet, perindeq; ac si rectè sciat, verba fun-  
dat, attamen nec dum certam ac firmam satis de illius presentia noti-  
tiam hauserat.* Autor Quæstionum Novi & V. Testam. apud Tho-  
ma in Catenâ: *Quod autè Demones, ait, clamant: Quid nobis & Tibi  
Jesu fili DEi? magis ex suspitione, quam ex cognitione dixisse creden-  
di sunt.* Gregorius Magnus lib: III. Moralium in Jobum c. XI.  
*Malignus Spiritus, inquit, cum Redemptorem nostrum miraculis cor-  
rumpere conspexit, clamat: Scimus, quod sis sanctus DEi. Qui hæc di-  
cens, cognoscendo DEi filium pertimescit, sed tamen vim supernæ pie-  
tatis ignorans, dum passibilem considerat, hominem purum putat.* Be-  
da in Luc: IV: *Quem dierum 40. jejunio fatigatum Diabolus homi-  
nem cognoverat, nec tentando valebat, an DEi filius esset, experiri,  
jam nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel potius suspicatus  
est esse Filium Dei.* Remigius Antisiodorensis Seculo IX. quem ita  
citât Thomas in Catenâ: *Quotiescunq; ait, ejus virtute torqueban-  
tur (Dæmones) & signa & miracula facientem videbant, astima-  
bant eum esse filium DEi: postquam verò videbant eum esurire, sitire  
& his similia pati, dubitabant & credebant hominem purum.* Chri-  
stianus Druthmarus c: XX. in Matth: *Ista confessio Dæmonum, in-  
quit, non est voluntatis, sed necessitatis, & tentant ut possint  
scire, si ipse esset Christus. Volebant enim conjici eum per signorum  
magnitudinem.* Innocentius III. considerans loca Scripturæ, in  
quibus Satanam mysterium hoc nunc credidisse, nunc dubitasse  
de eo



de eo asseri videtur: *Distinguantur, ait, tempora, & concordabit Scriptura. Demones enim quandoq; Christum Filium Dei esse credebant, quandoq; dubitabant. Nam cum videbant eum humanos sustinere defectus, dubitabant de ipso, quemadmodum legitur, quod cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus & postea esurisset, accedens tentator dicit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Cum autem videbant eum operari miracula, credebant de ipso, quod Filius Dei esset. Quemadmodum alibi dixisse leguntur: Jesu Nazarene, quare venisti ante tempus torquere nos? Scimus, quia sanctus Dei es.*

Sed quid causæ subest, quod mysterium hoc ante passionem & resurrectionē Satanam certò cognoscere non sustinuerit Deus? Id palmarium est in hac disquisitione. Ideoque paulò accuratius nobis erit pensiculandū. Ut ergò ab ovo, quod dicitur, rem repetamus, principiò notū est, quod Satanus post lapsum jus aliquod in homines ex primo naturaliter oriundos adeptus sit. Nascuntur enim omnes sub potestate principis tenebrarum Col. I, 13, idq; ex justo Dei judicio, propter peccatū sc. primi illius hominis, quia hic à Satanā serpentem induto sibi persuaderi passus fuerat, ut Deo obedientiam denegaret, sibi autem præstaret, atq; hoc ipso ultrò in dominationem ejus transiverat. *A quo enim quis superatus est, hujus & servus est, ait Petrus 2. Epist. II, 19. Leo M. hac de re sic scribit Serm. II. de Nativit: Superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vendicabat; nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Quamvis enim nequiter jus illud acquisiverat, atq; sic ipse simpliciter justus dici non posset, justè tamen à Deo permisum hoc fuit, ut ei ad interitum & mortem dominaretur Satanus, qui sibi obedire noluerat, quo æternum viveret. Et Greg. M. libr. XVII. Moral. c. XIX: Diabolus, ait, ab illa nos parentis primi radice supplantans sub captivitate sua quasi justè tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus, ei injusta suadenti consensit. Ad vitam namq; conditus*  
F *in liber-*

in libertate propria voluntatis sponte sua factus est debitor mortis. Sic  
& Bernhardus in Epistolâ CXC: *Discamus, inquit, Diabolum non  
solum potestatem, sed & justam (potestatem) habuisse in homines.  
Quamvis non & voluntatem justam. Unde non Diabolus, qui inva-  
sit; non homo qui meruit; sed justus Dominus, qui exposuit. Non enim  
à potestate, sed à voluntate justus injustusq; quis dicitur. Hoc ergò Dia-  
boli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter u-  
surpatum, justè tamen permissum. Sic itaq; homo justè captivus tene-  
batur, ut tamen nec in homine, nec in Diabolo illa esset justitia, sed in  
DEO. Jam Filius Dei eum in finem in mundum venerat, ut Sa-  
tanæ opera dissolveret 1. Joh. III, 8. atq; genus hominum ex ejus  
potestate liberaret. Hoc a. facere volebat non per vim aut po-  
tentiam solam. Sic enim, sunt verba Johannis Damasceni III. Orth.  
fid. XIIIX, *incusandi Dei ac cõquerendi occasionẽ habiturus fuisset Dia-  
bolus, si supremã potestate ille usus esset, ad liberandum hominem,  
quem victum tyrannico dominatu premebat. Sed ita hominem li-  
berare volebat, ut Satanus justè sibi potestatem, quam in homi-  
nes exercuerat hætenus, ademptam esse ipse confiteri cogeretur.  
Hoc autem cõmodius fieri non poterat, quam si filio Dei mortẽ,  
cujus ille potestatem habebat in assumptã carne inferret. In hunc  
enim, cum à peccato omni immunis esset, nihil quicquã habebat  
potestatis, sed in fontes solùm & peccato obnoxios, cujus solius  
stipendium mors est, Rom, VI, 23. Abuti ergò eum suo jure ac po-  
testate necesse erat, si quidem Christo homini planè in fonti & san-  
cto, præter omne jus & fas necem intentaret. Quid autem justius  
est, quàm ut jure ac potestate suã privetur, qui eã nequiter ad op-  
primendos innocentes abutitur? Quamdiu carnifex eos saltem,  
qui expresso jure damnati sunt, perimit, nemo habet, cujus ipsum  
jure incusare queat; ast si gladium ad fontes necandos à Magistra-  
tu ipsi concessum, in alios quoq; in fontes scil. ac innocentes,  
stringat, eorumq; unum aut alterum interimat, extemplo omni  
potestate necandi homines, etiam fontes exuitur, ipseq; morti  
adju-**

adjudicatur: Sic quamdiu Satanus potestatem mortis, quã instructus erat, in homines peccatores exercebat, saluum ipsi ac illæsum manere par erat jus, quod in illos habebat; ast si fieret, ut abuteretur illo & innocentem aliquem perimeret, quid futurum erat æquius, quàm ut potestas ista ei adimeretur, in primis si is ipse esset unigenitus DEI Filius?

Jam autem non est credibile, futurum fuisse, ut Satanus adversus hunc tale quid tentaret, si cognovisset, quod reverà esset naturalis, & unigenitus Dei Filius. Facile enim cogitare potuisset, se tantum facinus non impunè laturum, quin & frustra laboraturum, si eum interficeret. Quis enim à morte jugiter teneri potuisset, qui vita ipsa est? Huc spectant illa Apostoli ex 1. Cor. II, 7: *Si cognovissent illum principes hujus seculi, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Per principes enim hujus Seculi Patres passim intelligunt ipsos Dæmones, qui & alibi dicuntur *Rectores mundi* Eph. VI, 12; sicut & Satanus omnium antesignanus *princeps mundi hujus* vocatur Joh. XIV, 31. c. XVI, 11. & *princeps potestatis aëris* Ephes. II, 2. Hi ergò numquam crucifixissent Christum, id est, numquam Judæos ad necem istius instigassent, aut ipsis suggestissent, ut eum crucifigerent (Nam & hoc ipso sensu Apoc. II, 10. *Satanus* aliquos dicitur *missurus in carcerem* h. e. suggesturum aliis, ut eos in carcerem mitterent) *si Dominum gloriæ eum esse certò cognovissent.* Nunquam enim id spontè egissent, per quod scient humani generis salutem promovendam, suumque regnum destruendum esse. Hac ratione verba ista exponit Origenes Hom. VII. in Lucam: *Quare, inquit, in Scripturâ & reperies voluntatis Christi fuisse, ut adventum filii Dei Diabolus ignoraret. Apostolus enim passionem ejus asserens nescisse contrarias fortitudines, ait: Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non hujus seculi, neque principum seculi hujus, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nullus principum hujus seculi cognovit. Si n. cognovissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent. Abscon-*

ditum igitur fuit à principibus seculi mysterium Salvatoris. Ambrosius aut quicumq; Autor est Commentariorum in I. Corinth. sive Hilarius Diaconus Romanus s. alius: Principes, ait, hujus seculi non solum homines accipiendi sunt Judaeorum ac Romanorum, sed & hi principes ac Potestates, quos supra dixit, ad quos verè pertinet dictum hoc, adversus quos nobis colluctatio est spiritualis nequitia in caelestibus, quia consilio ac voluntate illorum Christus crucifixus est. Deniq; post tentationes Diabolus recessit, ait, usq; ad tempus. Et ipse Dominus, Princeps, inquit, hujus mundi venit, & in me invenit nihil. Principes ergo hujus seculi per ignorantiam Dominum majestatis crucifixerunt. Nam Judaeorum principes quomodo principes hujus seculi possent intelligi, qui erant subjecti regno Romano? Et neq; Romanorum principes crucifixerunt Christum, quippe cum dixerit Pilatus: Nullam causam mortis invenio in eo. Unde & manus lavit, dicens Judaeis, innocens ego sum à sanguine hujus justis, vos videritis. Hi ergo principes crucifixerunt Dominum, quos detriumphavit liberè in semetipso. Deniq; Hieronymus in Daniel: X. ad ista verba Prophetæ: Princeps autem regni Persarum restitit mihi &c. Videtur mihi, inquit, hic esse Angelus, cui Persis credita est, juxta illud, quod in Deuteronomio legimus (c. XXXII.): Quando dividebat altissimus gentes, statuit terminos gentium juxta numerum angelorum DEI. Isti sunt principes, de quibus & Apostolus loquitur: Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum seculi hujus cognovit.

Ut ergo Diabolus confunderetur, Filius Dei id, quod ab æterno erat, abscondebat tegmine assumptæ carnis & infirmitatum, quas una susceperat, ut Satanæ in hanc speciem intentus non ambigeret ei manus inferre & hoc ipso potestatem, quam in homines hæcenus usurpaverat, amitteret. Quò referenda sunt verba Apostoli Rom. IX, 3. & 4: Deus misit filium in formâ consimili carni peccati obnoxia & de peccato, & à peccatis, propter peccatum, condemnavit peccatum in carne h. e. peccato & qui per peccatum ad perniciem hominibus dominabatur, Satanæ, potestatem ac Dominium

nium abjudicavit eo nomine, quod ipsum Dei Filium, in quem nihil quicquam juris obtinebat, non dubitasset de medio tollere. Hunc sensum intendisse videtur Syrus, qui verba hæc ita reddidit: *Misit DEUS Filium suum in similitudine carnis peccati propter peccatum, ut reum perageret peccatum in carne ipsius.* Sed & Arabs eò videtur collineare, dum sic vertit: *Misit Deus Filium suum sub specie carnis peccati: & propter peccatum condemnavit peccatum per carnem ejus.* Inter veteres autem Ecclesiæ Doctores pleriq; ad dictum modum verba Apostoli exponunt. Autor Commentarii in Epist: ad Romanos apud Ambrosium: *Deus, inquit, misit Filium suum in similitudine carnis peccati. Hæc est similitudo carnis, quia quamvis eadem caro sit, quæ est nostra, non tamen ita facta in utero & nata est, sicut caro nostra. Est enim sanctificata in utero & nata sine peccato, & neq; ipse in illa peccavit — — Misso ergò eo hoc pacto Deus de peccato damnavit peccatum h. e. peccatum peccato proprio damnavit. Christus enim cum à peccato crucifigitur, quod est Satanas, peccavit peccatum in carne corporis Salvatoris. Quo facto damnavit Deus peccatum in carne, ibi utiq; ubi peccavit, sicut & in aliâ Epistolâ (Col. II, 15.) ait, de triumphans illas in ipso, id est, in Christo. Nam & solet dici de quocunq; damnato: In qua causa damnatus est? respondetur, ut puta, in homicidio. Ita & peccatum in carne damnatum h. e. in peccato, quod admisit in carne. Hoc utiq; peccato reus factus Satanas amisit Dominium retentorum animarum, ut jam signatos signo crucis, in quâ victus est, in secundâ morte tenere non audeat. Chrysostomus Hom. XIII. in Epist. ad Romanos: Deus, ait, misit Filium suum in similitudine carnis peccati. neq; enim aliam assumpsit carnem, sed ipsam hanc afflictam laboribusq; confectam, peccati quidem expertem, sed in cæteris similem nostræ peccatrici — In hæc a, damnavit peccatum pro peccato — nam minimè peccando non victus est, moriendo autem vicit & damnavit peccatum, terribilem illi carnem efficiens, quæ prius despicabilis erat. Sic igitur & illius potentiam fregit & mortem per illud introductâ sustulit. Donec enim*

peccatores offenderet, jure optimo necem inferebat; posteaquam verò corpus minimè peccans reperit, illudq; morti tradidit, condemnatum illud est, tanquam quod injuriam intulisset. — Prius enim illud coarguit injuriam fecisse, sicq; ipsum damnavit non simpliciter fortitudinis ac potestate, sed jure ac ratione. Hoc enim patefecit dicens: de peccato damnavit peccatum in carne; ac si dixisset, quod convicit illud magno admodum de peccato, ac tum demum illud condemnavit. Vides utiq; peccatum damnari, non carnem; sed hanc & coronam accipere, & sententiam contra illud reportare. Meminit ejusdem interpretationis & Hieronymus: Quidam, inquit Comment. in Epist. ad Rom. IIX, dicunt, quod peccato Judaeorum, quod Dominum occiderunt, peccatum Diaboli, quod hostem deceperat, per hominem condemnavit, sicut ad Hebræos dicit: Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium. Theodulus Presbyter & postea Episcopus in Cælesyria, aut quicumq; autor est Comment. in Epist. ad Romanos, qui ipsius nomine circumferuntur & Tom. I. Bibl. Pp. reperiuntur: Deus, ait, misso Filio suo in similitudinem carnis peccati (carnem enim nostram una cum affectibus suscepit, peccatum autem admisit nunquam) & de peccato condemnavit peccatum. Non enim simpliciter neq; inexploratè dixit: Quemadmodum potens est, pro potentiâ suâ condemnavit peccatum, verum primum certè cōmonstrans, quod maximè impegerit, offenderit, deliquerit, peccatū nempe ipsum. Condemnavit autem illud in carne, id est, per carnem suam. Hoc enim admirabile est, quod per carnem, qua jam olim obnoxia erat peccato, ipsum condemnaret. Quomodo? cum videlicet peccati vacuum & inanem retinet: hac enim ratione & vincit & punit peccatum. Theodoretus in Comment: Unigenitum DEI verbum, inquit, homo factum per humanam carnem peccatum fregit ac profligavit, cum omnem justitiam impleisset, neq; peccati labem admisisset, & cum peccatorum, ac si peccator, mortem sustinisset, peccati injustitiam coarguit, quod corpus morti nequaquam obnoxium morti tradiderit. Ergo verò hoc ipsum & peccatum ipsum & mortem destruxit. Nam ut  
morti

morti non subjectus (neq; enim peccatum commiserat) ea tamen per  
injustam peccati sententiam suscepta fuit merces redemptionis ab eo,  
qui inter mortuos erat liber, prestita iis, qui justè à morte detineban-  
tur. Theophylactus postquam verba aliqua Chrysofomi citas-  
set, addit: Misit igitur filium suum DEUS, cum ut ostenderet pecca-  
tum & injustum esse & peccasse, tum ut justè ipsum condemnaret, nec  
dicat Diabolus, Christus instar fortis me vicit.

Quod hanc ob causam divinitatem suam Satanæ occultaverit  
Christus, passim docent Patres. Et quidem huc sine dubio respe-  
xit Irenæus Seculo II. Lib. V. c. 1. ita scribens: Quoniam injustè  
nobis dominabatur apostasia & cum naturâ essemus Dei omnipoten-  
tis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos,  
potens in omnibus Dei verbum & non deficiens in suâ justitiâ, justè  
etiâ adversus ipsam conversus est apostasiam ea, qua sunt sua, insatia-  
biliter rapiens, sed secundum suadellam; quemadmodum decebat  
Deum suadentem & non vim inferentem accipere qua vellet, ut neq;  
quod justum est confringeretur, neq; antiqua plasmatio Dei periret.  
Paulinus Nolanus Seculo IV, Epist. IV: Non eî, ait, in majestate  
nature suæ, sed habitu nostræ congregans, & nihil ei extorquens vio-  
lento dominatu, sed superans eum lege justitiæ: ut quoniam femina  
decepta & dejecto per feminam viro omnem prolem primi hominis  
tanquam peccatricem legibus mortis malitiosa quidem nocendi cupi-  
ditate, sed tamen ut æquisimo jure victoria vendicabat, tamdiu pote-  
stas ejus valeret, donec interficeret justum, in quo nihil dignum morte  
posset ostendere, non solum quia sine crimine occisus est, sed etiam quia  
sine libidine natus — Justissimè itaq; dimittere cogitur credentes in  
eum, quem injustissimè occidit. Quæ ipsa verba apud Augustinum  
quoq; reperiuntur Lib. III. de libero arbitrio c. X. Leo M. Serm.  
II. in Solennitate Nativitatis Christi: Verax, inquit, misericordia  
Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa sup-  
peterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, quâ ad destruendū  
opus Diaboli nō virtute uteretur potentia; sed ratione justitiæ. Nam  
super-

bia hostis antiqui non immerito — in debito dominatu preme-  
bat, quos à mandato DEI spontaneos in obsequium suae volunta-  
tis illexerat. Non itaq; justè amitteret originalem deditiis generis ser-  
vitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod ut fieret sine  
virili semine editus est Christus ex virgine sine peccati sordibus, —  
ut virtutem inseparabilis à suo homine Deitatis, per velamen nostrae  
infirmittatis absconderet — Et hinc illusa est securi hostis astutia,  
qui nativittatem pueri in salutem generis humani procreati, non aliter  
sibi, quam omnium nascentium putavit obnoxiam. Vidit enim vagi-  
entem atq; lacrymantem, vidit pannis involutum, circumcisioni sub-  
ditum, Et legalis sacrificii oblatione perfectum. Agnovit deinceps  
solita pueritiae incrementa Et usq; in Viriles annos de naturalibus non  
dubitavit augmentis. Inter haec intulit contumelias, multiplicavit  
injurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, convitia: omnè  
postremo in ipsum vim furoris sui effudit. Omnium tentamentorum  
genera percurrit, Et sciens quo humanam creaturam infecisset vene-  
no, nequaquam credidit primae transgressionis exortem, quem tot  
documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prado Et  
avarus exactor, in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere: Et dum  
vitiatae originis praedictum generale persequitur, chiographum, quo  
nitebatur, excidit ab illo iniquitatis exigens penam, in quo nullam re-  
perit culpam. Solvitur itaq; lethiferae pactiois male suasa conscri-  
ptio, Et per injustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur.  
Et Serm. IIX. in eadem Solennitate: Quia nec ita in primum homi-  
nem, ait, Diabolus violentus extiterat, ut eum in partes suas, sine liberi  
arbitrii consensione transferret: sic destruendum peccatum fuerat  
voluntarium, Et hostis consilium, ut dono gratiae non obsesset norma  
justitiae. In totius generis humani strage communi, unum solum fuit  
remedium sub divinationis occulto, quod posset subvenire prostra-  
tis, ne aliquis filiorum Adam originalis praedicationis alienus atq; in-  
nocens nasceretur, qui ceteris exemplo prodesset Et merito. Sed quia  
haec naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatae radicis sine  
semine



semine propago esse, de quo Scriptura dicit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Dominus David factus est filius David, & de promissi generis fructu proles est orta sine vitio, in unam personam geminam conveniente natura. Rursus Serm. IV. de Quadrages. verbis supra adductis subdit: Secundo scrutatus est Satanas, an sub humana carnis specie divinitas adumbrata tegeretur, cui facile esset pervium facere aërem & terrena per vacuum membra librare. Sed cum ille Dominus justitiam maluisset opponere veri hominis, quam potentiam manifestare divinitatis, ad hoc convertit tertia fraudis ingenium, ut eum, in quo divina potestatis signa cessaverant, dominandi cupiditate tentaret, & ad venerationem sui regna mundi pellicendo traduceret. Sed prudentiam Diaboli stultam fecit sapientiam DEI, ut superbus hostis in hominem videns, quem aliquando superaverat (in Adamo scilicet) non metueret eum persequi, quem pro omnibus oportebat occidi. Et Serm. XI. de passione Christi, ait, ut humanum genus vinculis mortifera prevaricationis absolveret & savienti Diabolo potentiam suam majestatis occuluit, & infirmitatem nostram humilitatis objecit. Si enim crudelis & superbus inimicus consilium misericordie Dei nosse potuisset, Judaeorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere: ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Denique Serm. XIIII: Hoc magnum, inquit, pietatis sacramentum, dilectissimi, sicut Judaica impietas, ita Diabolica superbia nesciebat. Si n. cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent. Sed quia hostem generis humani latebat consilium misericordie Dei, & opposito carnis velamine, Deus in Christo mundum reconcilians tegebatur, perstitit in eum furere, in quo nihil suum poterat invenire. Theodoretus Orat. X. de Providentia: Christus, ait, divinitatem ad tempus abscondens hominibus victoriam procuravit — Et cum maledictioni non subjaceret (peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus) peccatorum tamen mortem sustinuit & contra communem naturam nostram hostem demonem litigat, propugnator

Ignator simul & patronus nostrae naturae factus, & merito ad dirum nostrum tyrannum dicit: Captus es pessime, & tuis propriis recibus comprehensus es, & tuus gladius in cor tuum penetravit — Dic enim, quare corpus meum cruci affixisti & morti tradidisti? — Divina enim lex peccatores morti tradidit: Tu vero etiam peccati experientem mortis vinculis tradidisti: & insatiabilis tua libido extrema tibi crudelitatis causa fuit: cumq; unū injustè ceperis, omnib; simul subditis justè spoliaris, & qui cibum voravisti non edendum, omnem ante deglutitum evomes, & docebis omnes presentibus contentos esse, iisq; quae ad se non pertinent abstinere. Recordare propter quid humani generis progenitor Adam morti traditus sit. Hic, cum ipsi omnium Paradisi arborum copia facta esset, iis quae data erant, minimè contentus, cum non sufficeret illi omnium ubertate perfrui, arborem scientiae tangere ausus est, cujus fructum Creator vetuerat. Unde insatiabili cupiditate laborans & vetita concupiscens, toto Paradiso privatus est. Istis te quoq; supplicis afficiam. Injustum n. foret, eum qui seductus fuit, istiusmodi panam sustinuisse, seductorem vero non eodem supplicio puniri. Quoniam itaq; & tu, qui potestatem in peccatores acceperas, corpus invasisti nullius peccati reum, potestate tua discedito, tyrannide desistito. Omnes à morte liberabo: non simpliciter misericordià utens, sed misericordià justà: neq; herili utens potestate, sed potestate justà. Jobius Monachus lib. VI. de Incarnat. c. XXXI, apud Photium Bibl: Codice CCXXII: Necessè erat, inquit, incarnationis Dominica mysterium, velut umbra tegi, ut id tenebrarum princeps ignoraret. Nam viria divinus Ignatius seculi hujus principem latuisse, commemorat, Virginitatem Mariae, conceptionem Domini & crucifixionem Christi. Afirmat quippe D. Paulus de principibus seculi hujus: Si cognovissent, Dominum gloria non crucifixissent. Bernh: Claræval: Epist. XCX. c. VI: Justè, ait, homo addictus (Satanae) sed misericorditer liberatus, sic tñ. ut non defuerit justitia quadã & in ipsa liberatione: quoniam hoc quoq; fuit de misericordià liberantis, ut (quod congruebat remediis liberandi) justitia magis contra invasorem, quàm potentia uteretur.

retur. Quid namq; ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recu-  
peraret homo servus peccati, vincens Diaboli? Assignata ei proinde est  
aliena, qui caruit sua: & ipsa sic est: Venit princeps hujus mundi, &  
in Salvatore non invenit quicquam: & cum nihilominus innocentem  
manus iniecit, justissime quos tenebat amisit: quoniam is qui morti nihil de-  
bebat, acceptam mortis injuriam jure illum qui obnoxius erat, & mortis  
debito, & Diaboli solvit dominio. Thomas de Aquino Parte I.  
Quæst. LXIV, art. I. ad IV. hæc habet verba: *Mysterium regni Dei,*  
*quod est impletum per Christum, omnes quidem angeli à principio ali-*  
*quo modo cognoverunt, maxime ex quo beatificati sunt visione Verbi,*  
*quam demones nunquam habuerunt: Non tamen omnes Angeli co-*  
*cgnoverunt perfecte, neq; equaliter. Unde demones multo minus Chri-*  
*sto existente in mundo perfecte mysterium incarnationis cognoverunt.*  
*Non enim innotuit eis, ut Augustinus dicit IX. de Civitat. Dei c. XXI:*  
*sicut Angelis Sanctis, qui verbi participata eternitate perfruuntur,*  
*sed sicut eis terrendis innotescendum fuit per quadam temporalia esse-*  
*ta. Si a. perfecte & per certitudinem cognovissent ipsum esse Filium*  
*Dei, & effectum passionis ejus, nunquam Dominum gloria crucifigi*  
*procurassent.*

Simul v. hoc ipso Deus sapientiam suam, quam adhibuit in opere  
redemptionis, cognoscendam præbuit. Non enim Satanæ per justi-  
tiam solum, sed & per sapientiam vincendus erat, quæ opponere-  
tur astutiæ, quæ usus fuerat fraudulentus hostis, ut deciperet  
protoplastos. Quæ ratione enim adoriebatur Evam? num in for-  
mâ propriâ? Non utiq; Hanc enim si ostendisset, nunquam ad  
obsequium suum eam redegit. Sub alienam ergo apparebat spe-  
cie, nempe indutus carnem serpentis, quam solam ostendebat,  
propriam a. suam formam hac ipsâ externam serpentis occultabat.  
Quid igitur magis conforme erat sapientiæ Dei, quam ut filius  
ejus, restitutor humani generis similiter formam servi, quam in-  
dutus erat, Satanæ solam objiceret, deitatem autem suam sub eâ  
occultaret, ut in illam ruens ab hac caperetur ac devoraretur, sicut

piscis in vermem hamum sub se continentem irruens ab hamo  
abscondito capitur, & ne auferre possit, tenetur. Hac de re  
Zeno Veronensis Seculi III. Scriptor. Serm: de adventu Christi:  
Christus, inquit, mundū latenter intravit, ne sibi sapiens Diabolus vi-  
deretur. Qui consilio hominē deceperat, consilio vincitur: ut quomodo  
homo in Paradiso non cognoverat Diabolum, sic & Diabolus in seculo  
non facile cognosceret Christum. Athanasius de passione & cruce Do-  
mini: Diabolus, ait, cernens Christum in cruce pendentem & mortem  
persequentem, in metu fuit, ne is ipse esset, de quo scriptum erat (Esaï.  
XXX, 18): Exaltabitur Dominus, ut miseratur nostri, ac proinde omnia  
statuerat relinquere, ac fugere, invidens interim iis, quos ille miseri-  
cordia persecuturus esset. Cæterum Dominus, reverè salvator, noluit  
illum ita illasum discedere, neq; opus suum imperfectum deserere, neq;  
deditos addictosq; inferno relinquere inimico. Magno igitur stratage-  
mate & admirabili opere usus est. Nam cum cerneret illum alioquin  
audacem metu jam contractum, timentem & expavescentem, rur-  
sum sese lapsabundum simulat, ut hostem in congressum venientem ple-  
nè edomaret, siquidem Draco ille volebat mori Dominum, neq; in signo  
pendere — Dominus a. cum eum ita fugam adorantem conspiceret,  
metuens ne fugà elaberetur, voces humanas emisit, & voces imbecilli-  
tatis simulavit dicens: Heloi, Heloi, lama sabachthani, h. e. Deus meus,  
Deus meus, cur me dereliquisti? Et hoc fecit, ne Diabolus ab eo, quem  
ut hominem ante contempserat, nunc autem ut Deum exhorrescebat,  
fugà se abduceret. Certè istis verbis ille undecunq; sceleratissimus  
motus ut hominem iterum adorans, contractus est. Persuasit n. Ju-  
deis, ut eum ad necem mactationemq; deposcerent. Cæterum id eve-  
nit, quod minimè expectavit: mactatus enim est, non alibi, quàm in  
latere ad costas, ex quo effluxit sanguis & aqua, ut quoniam prius per  
mulierem è costâ formatam profluxerat deceptio, ita nunc per costas  
secundi Adami, redemptio & emundatio prioris Adami manaret, per  
sanguinem quidem redemptio, per aquam v. emundatio obtingeret.  
Ea res igitur Diabolo non ex sententia successit, cum morte eâ, quam  
meine.

metuebat, mortuus sit Dominus, ac ipse spoliatus sit, qui dum sperat, se  
posse Christum morte superare, ipse potius mortuus esse deprehenditur.  
Et cum se jactasset, quod homini insidias posuisset, fecit ut homo pro  
Deo agnosceretur. Simul enim ut ille moriebatur, rerum natura suo  
Sole destituta fuit, velumq; templi scissum est, terra quassata, petre  
disrupta, milites cum janitoribus inferni metu exhorruerunt. Ex qui-  
bus videre erat eum non hominem, sed Deum reverè in corpore hu-  
mano esse, quemadm. spectatores dicebant: verè hic est filius Dei —  
Nam Et multa monumenta ad aperta sunt Et eorum mortui resurre-  
xerunt. Planè cæca res est malitia, quæ cum crederet se unum occi-  
dere, omnibus simul spoliata est: Et dum speraret se unum ad inferos  
deportare, ab inferis expulsa est. ac proinde deprehensum est, Domi-  
num non imbecillitate naturæ mortuum esse, sed quod mortem ad ne-  
cem — persecutus sit, ut eâ abolita, omnes liberaret, quotquot metu  
mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti. Idem aut quicun-  
que Autor est Quæstionum, quæ Interpretationibus Dictorum &  
Parabolarum Scripturæ subjunguntur Quæst. XX: Cum prænisset,  
inquit, sapiens Deus, quod non posset sola humana natura vincere sine  
Deitate, abscondita est in ipsâ carne Deitas, ut Diabolus vidēs carnem  
Et non cognoscens Deitatem in eadem carne absconditam, accederet,  
Et cum Christo congredetur atq; ita vinceretur ab abscondita Dei-  
tate — Et quemadmodum ipse Diabolus, cum vellet olim subducere  
hominem Et Paradiso ejicere, non accessit ad Evam formâ Diabolicâ,  
sed gessit carnem, scil. serpentem Et sic accessit ac decepit illam. norat n.  
astutus iste, quod si accessisset in solâ forma Diabolica, numquam eam  
decipere potuisset. Et propterea indutus est, ut carne, serpente, Et præ-  
tereâ formâ carniferi serpentis Evam decepit. Atq; serpens quidem  
apparebat, Diabolus a, non apparebat. Et per apparentem serpen-  
tem efficax erat invisibilis serpens Diabolus. Dua n. natura in unâ  
persona effecerunt tunc lapsum in majoribus nostris. Et quemadm.  
tunc Diabolica forma Et serpentina dua natura erant in unâ persona  
unita Et una quidem natura, scil. serpentina apparebat, altera verò

nempe Diabolica non apparebat & eiciebat hominem ex Paradiso: Ita  
etiam in Christo due nature in unā personam divina & humana unitæ  
sunt & humanitas quidem apparebat, Deitas a. non apparebat, & per  
apparentē humanitatem Deitas invisibilis efficax erat, & ejectum ex  
Paradiso olim hominem due ista prestantes nature, videlicet Deitas &  
humanitas, in illum vicissim nunc introduxerunt. S. Ephræm Syrus  
Diaconus Edessenus Sermone in Margaritam pretiosam; Deus, ait,  
propter animam, quam ad imaginem & similitudinem suam ipse fecit,  
vendidit omnia & ad comparandam possessionem misit filium. Ast non  
vendidisset tyrannus, nisi illa tulisset & objecisset humanitatem: no-  
perat enim potentiam, ac timebat venditionem. Sed homini vende-  
bat, sciens ejus infirmitatem, cognoscensq; se quando vellet, rursus per-  
viam auferre posse ejus possessionem, atq; thesaurum. Mittit ergo su-  
um filium ad tyrannum —, qui servum assumens, hominem accepit  
agrum: & cum eum tyrannus non cognosceret, etiam thesaurum di-  
vendidit. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX; Quoniam, in-  
quit, vitii autor ille callidus invictum se esse putabat, postquam spe di-  
vinitatis inescaverat nos, ideò & carne objecta, velut escā, illectus est  
ipse, ut in illum tanquam in Adam incurrens in eum incidere, atq; ita  
novus Adam veterem recuperaret, atq; hoc modo carnis damnatio sol-  
veretur, ut mors morte puniretur. Epiphanius Sermone in Assum-  
ptionem Christi, Satanam ipso assumptionis Dominicæ die sic  
lugentem introducit: Quid faciam, infelix? Omnes, quos à seculo  
vincetas detinebam, lapsu incitatissimo instar accipitris advolans, mihi  
intercepit (Christus) meq; desertum, omniq; ex parte alis exutum in  
terram deturbavit, decepit me Maria filius. Ignorabam equidem De-  
um in humano corpore abditum latere. Cernebam illum mortali cor-  
pore indutum; ratusq; hominem tantum esse & nihil aliud, Judæos  
flagitiosè adversus illum concitavi; Et quæ per me ipsum tentare non  
audebam, ea per illos confeci. — At v. videns illum tertia die, prout  
predixerat, à mortuis resurrexisse repente, veluti acutâ cuspide undiq;  
projectus, in terram concidi. Greg. Nyssenus in lib. Catech. c. XXVI:  
Deus

DEUS, inquit, non nuda divinitate, sed tecta humanitate apparuit, & ab inimico ignoratus fuit, ut ipsum qui dominatum hactenus habuerat, caperet. Et Orat. I. in Christi resurrectione: Mysterii  $\text{O}\mu\text{x}\text{o}\nu\text{o}\nu\text{i}\alpha\text{s}$  hunc fuisse finem ait, ut consilium Satanae stultum redderet & apprehenderet sapientes in astutia eorum & sapientes ipsorum conatus in contrarium verteret. Nam, addit, quia fieri non poterat, ut princeps tenebrarum meram lucis presentiam attingeret, nisi partem aliquam carnis in ipsa conspexisset, idcirco, posteaquam divinam naturam vidit, & res admirandas, quae per ipsam à divinitate efficiebantur, aspexit, speravit, se, si morte carnem affecisset, omnem etiam virtutem, quae in ipsa erat, superaturam. Itaque dum inhians ad carnis escam aspirat, Divinitatis hamo transfixus est, atque ita Draco per hamum ductus est, ut ait Job, qui per se, quod futurum erat, praeannuntians, Hamo, inquit, draconem ducens (Job. XL, 20). August. Serm. XIV. de Tempore: Transgressio, ait, illius primi hominis totum deceperat mundum, ut nullum esset salutis remedium, nisi Christus adveniret à Caelo. Gaudet teterrimus draco, quia venenum preparaverat homini novo: sed ad hoc descendit Christus in uterum Virginis, ut exinde humana susciperet membra, quae traderet cruci, & mortem induceret antiquo draconi. Usus enim fuerat Diabolus consilio malo, ut per serpente mulieri loqueretur, & Diabolus non agnosceretur. Sed hic qui de caelo descendit, ad nihilum redegit illum, ut Deus Dei filius humanum susciperet corpus, tendens ei laqueum mortis, ut per visionem videlicet carnis, quae ad hominem solum tentator accederet & Deum penitus ignoraret. Videbat carnem, sed ignorabat Domini Majestatem; cernebat infirmitatem, & non videbat Deitatem. Remansit confusus Diabolus, dum in homine apparuit Dominus. Gregentinus in Disput. cum Judaeo, quae extat Tom. XI. Bibl. Pp. Latuit, inquit, filius DEI Diabolum, qui eum adortus est ut hominem & in ejus divinitatem incurrit & confusus est. Leo M. Serm. IX. de Pass. Domini: Quamvis, ait, furentes Judaei fecerunt in Dominum Jesum quaecumque voluerunt, suscepti hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas divina subtraxerit:

suberaxerit: patientia in Domini Consilii sui munus implevit, & per-  
tinacia sacrilega crudelitatis profecit operi Salvatoris, quod non Scri-  
bae, non Pharisaei, nec summi intellexerunt Pontifices. Si enim cognovis-  
sent, Dominum gloria non crucifixissent. Nec ipse itaq; Diabolus in-  
tellexit, quod seviendo in Christum suum destrueret principatum: qui  
antiqua fraudis jura non perderet, si se à Domini Jesu sanguine conti-  
neret. Sed malicia nocendi avidus, dum irruit, ruit; dum capit, capi-  
tur; dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem. Et Serm. X.  
de Pass. Domini: Exaltatus Jesus Christus in ligno retorfit mortem  
in mortis auterem & omnes principatus adversasq; virtutes, per obje-  
ctionem passibilis carnis illudit, admittens in se antiqui hostis audaci-  
am, qui obnoxiam sibi seviendi naturam, etiam ibi exactor ausus est  
esse debiti, ubi nullum potuit vestigium invenire peccati. C. Sollius  
Sidonius Apollinaris Carmine XVI, quod Eucharisticum est ad  
Faustum Reiensem Episcopum, ita Christum alloquitur: Postre-  
mò mortem, sed surrecturus adisti, Eripiens quicquid veteris migra-  
verat hostis In jus per nostrum facinus, cum saemina prima Praeceptum  
solvens culpa nos perpete vinxit: Qui cum te interitu petiit, nec repe-  
vit in te, Quod posset proprium convincere, perdidit omne, Quod lapsus  
dedit Eva sua, chirographum illud, Quo persuasus homo est, haec com-  
pensatio rupit: Expers peccati pro peccatoribus amplum, Fis pretium,  
veteremq; novus vice faenoris Adam, Dum moreris, de morte rapis, sic  
morta mors est. Sic sese insidiis, quas fecerat, ipsa fefellit. Nam dum  
indiserte petiit insontesq; reosq;, Egit ut absolvi possent & crimine noxi.  
Gregorius M. ad illa verba Jobi XL: Numquid illud es ei, quasi avi?  
In passione, inquit, illudit Dominus avi, id est, demoni, dum ei Unige-  
niti filii sui ostendit escam, sed laqueum abscondit. Vidit enim quod ore  
perciperet, sed non vidit, quod gutture teneret. Nam quamvis eum  
fuerat ipse confessus Filium Dei, velut tamen purum hominem mori  
credidit, ad cuius mortem Judaeorum animos concitavit. Et Homil.  
XXV. in Evangelia expendens itidem verba aliqua Jobi ex eodem  
capite, nempe haec: Numquid capies Leviathan hamo? Per Le-  
viathan,



viathan, ait, vetus ille devorator humani generis designatur. Qui dum se divinitatem homini addere spondit, immortalitatem sustulit — In hamo a. esca ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, qui ad mortem illius unigenitum filium incarnatum misit, in quo & caro passibilis videri posset, & divinitas impassibilis videri non posset. Cumq; in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, divinitatis aculeus illum perforavit. Prius v. eum in miraculis Deum cognoverat, sed de cognitione sua ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo esca carnis patuit, quam devorator appeteret; & divinitas passionis tempore latuit, qua necaret. Cæsarius Arelatensis Hom. V. de Paschate: Cum homo, inquit, Satana per peccati obedientiam deberetur, ille Deum specie hominis deceptus appetiit, & in ipsum cæli Dominatorem parricidales manus inferre presumpsit. Et subito per tantum nefas etiam crimen majestatis incurrit ac sic hominem, quem violentus tenebat, proscriptus amisit. Seculo VII. Isidorus Hispallensis lib: I. Sent. c. XVI: Christus, ait, ostensa suâ carnis mortalitate, quam interimendam Diabolus appetebat, abscondit Divinitatem ut laqueum, quo eum velut avem improvidam prudenti irretiret decipulâ. Seculo VIII. Damascenus lib. III. Orth. fidei c. XXVII. Accedit, inquit, mors (eadem a. ejus est ratio, qui potestatem mortis habet) corporisq; illecebram deglutiens, divinitatis hamo transfigitur: atq; in fonte ac vivifico corpore degustato, interit ipsa, omnesq; quos olim absorpserat, evomit. Seculo IX. Theophanes Homiliâ XXIV: Quoniam per inobedientiam, ait, homo seipsum inimico vendidit, & in potestatem virtutis adversaria redactus est, Dominus imaginis suæ commiseratione commotus non æquum judicavit per vim eam à tyranno auferre, ne propriâ suâ autoritate non verò ex justitiâ rem agere videretur: justum verò erat per mutatione quâdã liberari captivum, ideo — ipse Dei filius preti redemptionis loco seipsum tradidit, & quoniam fieri non poterat, ut nudâ Divinitate cum inimico congrederetur, carne circumtegatur (ἐμαλύπη), obvelatur, factus veluti esca

H dano.

*demonis aviditate, ut nimirum qui spe divinitatis deceperat hominem, ipse vicissim humanitatis spe caperetur. Seculo XI, Olympiodorus apud Nucetam in Catenâ Græcor. Patr. in Jobum c. XXIIIX. considerans verba Jobi exc. XL: Duces a. Draconem in hamo? & exponens ea Poteris ne, ait, ô Jobe, prestare, quod postea ab unigenito factum est? carne n. suâ, sicut escâ ei (Diabolo) objectâ & clavis suis tanquam hamis, piscem venatus est. Et antea in verba illa: Adveniens a. ad montem præruptum, fecit lætitiâ quadrupedibus in tartaro: Verbum incarnatum, inquit, montem præruptum vocat: cum igitur Diabolus ad eum accessit, & ut crucifigeretur causa fuit, gavisî sunt demones simul & homines, qui infernum merebantur, & brutorum instar ac pecudum beneficio crucis providâ DEI administratione ignorabât. Sec: XII. Rupert. Tuit. lib. II. Comm. in Job; Filius Dei, ait, sanctus & immaculatus homo conceptus est, non aliam habiturus, quâ offerret hostiam, nisi carnem propriam, quam statim 40 dierum & 40 noctium jejunio, deinde omnibus pœnitentiâ modis afflictam, tandem pro peccatis nostris oblaturus erat Deo Patri, hostiam in odorem suavitatis acceptam. Hoc a. totum sic oportebat fieri, quatenus & curiosam Diaboli malitiam totamq; ejusdem Synagogam Consilium Dei pro tempore lateret & de ipso latibulo suo crebris intermicans beneficis ejus Sapiëntia simplicibus proficeret. Et lib. IX. de divinis officiis. c. VI: Sicuti Vitulus, inquit, quæ ex præscripto Dei tulit secum Samuel, fefellit Saul, ut nesciret quid ageret in domo, nec quicquâ opinaretur præter id, quod prætedebat præparatio vituli, id est votum sacrificii: sic mortalis natura hominis, quæ in mundo apparuit, fefellit Diabolum, ut nesciret, quid actum esset in utero Virginis, nec aliud quid opinaretur in Christo, nisi quod foris ostendebat caro passibilis, id est, hominem purum, per omnia nostra obnoxium corruptioni, ut putabat, carnemq; peccati. Et hæc ferè sunt, quæ nobis vestigia veterum legentibus circa hanc quæstionem nunc occurrerunt.*




7/1377 (I)

ULB Halle

3

003 702 294



TA → a


p

VDTT

Handwritten signature or initials







B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

THEOLOGICA  
 TIONE,  
**ABOLUS**  
 RTEM CHRI-  
 NOVERIT, QVOD  
 SSET AC NATU-  
 EI FILIUS?  
 AM  
 ANTE GRATIA  
 ESIDIO  
 RIS ZEIDLERI,  
 SECUNDARI,  
 RECTORIS,  
 mini subicit  
 RENTOVIVS,  
 Borusus,  
 in Auditorio Majori  
 atutinis.  
 MONTI  
 SNERI ELECT, & ACAD.  
 Ao. 1665.

2

6.

